



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio LIV. De scientia beata animæ Christi. S. Thom. q. 9. art. 2. & q.
10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

noscere possimus; sed quia creaturam cognoscere est esse in actu secundo potentiae se ab intrinseco mouentis.

§.33. Confirmatur. Amor consistit in eodem conceptu, in quo cognitio: sed nullus potest formaliter amare affectu alieno: ergo nec cognoscere alieno actu. Minor probatur: quia amare est voluntariè aliquid velle: sed tunc non vellemus voluntate: ergo nec amaremus. Maior est definitio amoris: velle enim, & amare idem sunt. Minor est certa: quia omne voluntarium est à principio intrinseco, vt ex Aristotele omnes admittunt.

§.34. Hinc respondetur ad argumentum à subsistentia. Humanitatem subsistere est terminari, compleri, & perfici subsistentia: nec enim aliud exigit, nec habet modum, cui repugnet alieno subsistere supposito: viuere autem habet modum repugnantem. vnde non quæuis vnio ad cognitionem, sed ad cognitionem, quæ ex suo conceptu sit actus secundus potentiae, est opus ad formalem effectum viuentis.

S E C T I O I V.

Ad argumenta.

§.35. **S**olet argui à Thomistis: Essentia diuina potest vniri nostro intellectui in ratione speciei impressæ: ergo & expressæ. Quod argumentum magni faciunt: quia ita ratiocinantur de specie impressæ & expressæ, negantes formari Verbum à Beatis, vt essentiam diuinam pro vtraque subrogent. in quos possumus arguere: Effectum formalem Verbi creati supplet essentia Dei, & præstat in Beatis: ergo poterit supplere & præstare effectum formalem cognitionis creatæ. Probo consequen-

tiam: quia quamuis nostra cognitio sit per te adæ-
quatur actio vitalis prædicamentalis; etiam Ver-
bum creatum est de genere qualitatis vitalis: &
quia Deus attingit sua essentia rationem termini
actionis vitalis; potest supplere Verbi creati forma-
lem effectum: ergo, quia etiam sua essentia attingit
diuinitatem conceptum cognitionis, poterit supplere
nostræ formalem effectum. Quod argumentum
est producendum, tum ab æquitate vtriusque acci-
dentis vitalis; tum ex §.26. vbi probaui, nostram
cognitionem esse, aut includere actionem, non ob-
esse quo minus possit cognitione increata suppleri.
quæ hinc ad hominem pressius vrgentur: quia ad-
mittitur essentia diuina supplens effectum forma-
lem qualitatis vitalis.

§.36. Ad argumentum ex §.35. nego conse-
quentiam: quia vnio in ratione speciei impressæ
non est nisi extrinseca ad assistentia Dei cum intelle-
ctu beati parato concursu actiuo in actu primo
proximo ad producendam visionem in ratione
obiecti: vnio autem in ratione cognitionis est in-
trinseca. ab extrinseca autem vnio ad intrinse-
cam arguitur malè. admitto tamen esse possibilem
vnionem intrinsecam in ratione speciei impressæ:
item posse etiam vniri cognitionem incretam in-
tellectui creato: hic non accipiet formalem effe-
ctum intelligendi; accipiet autem speciei impressæ.
Hic enim non est vitalis; sed tantum est, eum esse po-
tentem ad efficiendam visionem: potens autem potest
esse adiuncto sibi alio comprincipio actiuo, siue
extrinsecè, siue intrinsecè adiungatur: vt latè pro-
baui, disputans de causis: item & de charitate vol.2.
disp.126.

§.37. Alia argumenta leuiora circumferuntur,
facilia quidem, & indigna quibus tempus im-
pendas.

D I S P U T A T I O L I V.

De scientia beata animæ Christi.

S. Thom. q.9. art.2. & q.10.

SECTIO I. *Quando & quo gradu Christus fuerit beatus?*

SECTIO II. *Dua opiniones de cognitione creaturarum in Verbo.*

SVBSECTIO I. *Prima sententia.*

SVBSECTIO II. *Opinio Durandi.*

SVBSECTIO III. *Aliorum responsio ad argumenta Durandi.*

SVBSECTIO IV. *Durando respondetur.*

SECTIO III. *Quid de cognitione possibilem in Deo vno eodemque actu?*

SVBSECTIO I. *Non possunt cognosci in Deo omnia possiblem vno actu.*

SVBSECTIO II. *Probatio S. Thomæ.*

SVBSECTIO III. *Aliorum rationes.*

SVBSECTIO IV. *Quid tandem alij censeant?*

SVBSECTIO V. *Cur non possint omnia videri vno actu?*

SVBSECTIO VI. *Quid sentiendum de opposita sententia?*

SECTIO IV. *Vtrum possint distinctis actibus videri in Deo omnia possiblem?*

SVBSECTIO I. *Pars affirmans.*

SECTIO V. *Quid de futurorum cognitione in Deo?*

SECTIO VI. *Vtrum in Deo possint vno actu videri omnia creata vt existentia aliquando?*

SVBSECTIO I. *Quid absolute de questione?*

SVBSECTIO II. *Quibus sentiatur pars affirmans?*

SVBSECTIO III. *Quibus probetur visionem non posse esse de seipsa?*

SECTIO VII. *Quid videat in Verbo anima Christi?*

SVBSECTIO I. *Videt omnia futura.*

SVBSECTIO II. *Hæc futura sunt simpliciter infinite multitudinis.*

SVBSECTIO III. *Quot cognitionibus Christus in futura feratur?*

SVBSECTIO IV. *De perfectione scientiæ creatæ, de futuris in Verbo: vtrum perfectior sit qua plura futura cognoscit?*

SVB-

S. Thom.
q. 20.

SVBSECTIO V. Christus aliquo actu cognoscit Deum sine vlla omnino creatura.

SVBSECTIO VI. Christus vno actu cognoscit infinitas species substantiales.

SVBSECTIO VII. Cetera de cognitione Christi.

SECTIO VIII. Vnde oriatur illa inaequalitas cognitionum?

SVBSECTIO I. Non oritur ab intensione actus.

SVBSECTIO II. Nec oritur ab extensione.

SVBSECTIO III. Nec à luminum diuersitate.

SVBSECTIO IV. Respondetur ad argumenta.

SVBSECTIO V. Nec oritur ex discrimine specierum impressarum de creaturis.

SVBSECTIO VI. Discrimen oritur ex voluntate, & concursu obiectiui Dei.

SECTIO IX. Vtrum anima Christi Deum comprehendat?

SVBSECTIO I. Nonnulla de comprehensione.

SVBSECTIO II. Examinatur doctrina P. Vasquez.

SVBSECTIO III. Examinata doctrina Durandi.

SVBSECTIO IV. Examinatur opinio de aequalitate comprehensionis cum obiecto comprehenso.

SVBSECTIO V. Impugnatur ea sententia.

SVBSECTIO VI. Ad argumenta S. Thomae.

SVBSECTIO VII. Ad aliorum argumenta.

SVBSECTIO VIII. Appendix de opinione constituyente comprehensionem in actu perfectissimo, quem obiectum potest aut peti.

SVBSECTIO IX. Alia eiusdem opinionis explicatio.

SVBSECTIO X. Explicatio similior veri.

SVBSECTIO XI. Clara ratio incomprehensibilitatis Dei.

SVBSECTIO XII. Corollaria.

SECTIO X. De claritate scientia beata. S. Thom. qu. 10. art. 4.

SECTIO XI. De certitudine scientia beata.

SECTIO XII. Vtrum sit possibilis scientia beata maior, quam scientia Christi.

SVBSECTIO I. Opinio Caietani & aliorum, de inaequali visione ex potentia inaequalibus eleuatis lumine aequali.

SVBSECTIO II. Possibilis est alia visio melior quam communis de potentia absoluta.



MITTENDÆ sunt difficultates singulis Beatis communes: Vtrum sit qualitas, vel actio? an fiat per lumen distinctum ab specie impressa? spectant enim ad primam partem quaest. 12. Nonnulli autem hic omnia turbant per ansam arreptam, & praepostera ambitione difficultates maturant: eas autem expendam, quæ propriæ sunt Christi, quamuis non præmittam difficultates à S. Thoma disputatas; etiam duæ sunt cuius beato communes.

SECTIO I.

Quando, & quo gradu Christus fuerit beatus?

S. I. **Q**uo tempore Christus agens vitam mortalem fuerit Deo viso donatus, neque Scripturæ docent, neque Ecclesia definiit: constans tamen est Scholasticorum Patrumque consensus apud P. Suarez disp. 25. sect. 2. primo instanti suæ conceptionis animam Christi fruitam Deo. Et quidem Christum ante mortem Deum: vidisse videtur expressisse Ioannes cap. 1. num 18. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis.* Quamuis enim interpretibus sit dissentio de fine eorum verborum; nulla tamen est inde deduci Deum à Christo visum in hac vita, est enim hic sensus Ioannis: Testimonium ego perhibeo de Filij diuinitate, & humano genere redempto. & quidem rectè possum: nam ipse Vnigenitus existens in sinu Patris, Deumque videns, nobis ea enarrauit: quia in Deo ea vidit, ante quem nullus alius, etiam Moses, vidit Deum. Recognosce P. Maldonatum in eum locum. Quamuis P. Toletus annot. 54. inclinare videtur, Evangelistam locutum de visione increata Christi vt Dei. Verum licet esse in sinu Patris exponatur de consubstantialitate; visio tamen refertur ad Christum vt hominem; quæ visio sequitur ex Filij existentia in sinu Patris: quia hypostaticè est illi humanitas coniuncta. Et cum Evangelista loquatur de prædicatione Christi, qua loquens nobis Deus in Filio nos docuit suam diuinitatem; intelligitur de illo vt homine & doctore: sic enim prædicauit: Evangelista autem dixit, quod illi Christus enarrauerat, vt apertè in sinu, & Glossa

interlinearis, exponens enarrationem per mysterium Incarnationis. Disputans autem Christus cum Nicodemo Ioan. 3. v. 11. non leuiter indicauit inquiring, *Et quod vidimus testamur.*

§. 2. Secundò probatur ex cap. 10. ad Hebræos vers. 5. loquens enim Apostolus de Christo recenter incarnato, *ideo, inquit, ingrediens in mundum dixit, Holocaustum & oblationem noluit, tunc dixit, Ecce venio.* Vbi describit Apostolus cognitionem; qua Christus in vtero nouit Dei voluntatem esse, vt ipse per suum sanguinem mundum redimeret. Vnde arbitror fide sanctum ex hoc testimonio. Christum à primo limine in hanc vitam ratione usum, cum per Incarnationem in hunc mundum, & maternum uterum est ingressus. Et quamuis hoc testimonio non probetur singillatim visio beata; sumitur tamen inde non leue argumentum: quia si habuit infusam, cur beata careret? quam non erat meritis assecutus; imò & eodem instanti eam poterat assequi per merita: quia Christus iam erat prius ratione impeccabilis per vnionem: alioquin agrè eodem instanti posset componi indifferentia ad peccandum, & visio: neque hæc pugnat cum munere redemptoris: de qua dubitabit nullus, nisi Lutherus, Caluinus & Zuinglius. Recognosce P. Bellarm. tom. 1. libr. 4. de Christo cap. 1.

§. 3. Visio beata fuit in Christo infinite intensa, vt gratia ipsa, ita vt circa suum obiectum primum & secundarium, nec diuinitas posset augeri. Recognosce disp. 32. à §. 3.

S E C T I O II.

Due opinionēs de cognitione creaturarum in Verbo.

§. 4. **I**N Verbo dicuntur creaturæ cognosci: ratio autem id explicandi non est omnibus eadem. Plerique censent creaturas in Verbo cognosci: quia Deus immediatè videretur scientia beante; qui in ratione obiecti cogniti dicit beatum in creaturas: ita vt Deus ex parte obiecti sit ratio, ob quam cognitio creaturas attingat: quemadmodum Deus amatus est ratio obiectiua, ob quam easdem creaturas amamus: item vt præmissa sunt ratio cognoscendi conclusionem; meliùs, vt ignis angelo est ratio cognoscendi calorem; nobis autem fumus & calor sunt ratio ignem cognoscendi.

§. 5. Alij verò censent, creaturas in Verbo cognosci, non quòd Deus in ratione obiecti sit ratio eas cognoscendi: sed quia status ille beatus petit cognitionem claram creaturarum: ergo cognoscuntur in Verbo non vt obiecto cognito, sed vt in causa cognitionis debita visioni beati. Et quidem Beati in omnium ferè sententia multa creata cognoscunt, quin in Deo cognito; sed in genere proprio, vt multa futura. Omnia tamen dicuntur in Verbo cognosci: quia ea cognitio est debita Beatis. Recognosce P. Salas tom. 1. in 1. 2. qu. 3. tract. 2. disp. 4. num. 37.

S V B S E C T I O I.

Prima sententia.

§. 6. **P**Rima ergo sententia est, ab anima Christi nullam creaturam cognosci, nec posse in Verbo vt in obiecto cognito; sed in genere proprio. Huius auctores non inficiantur eadem cognitione beata cognosci simul posse Deum, & creaturam: potest enim aliqua ad vtrumque porrigi: aiunt autem nec Deum esse rationem obiectiuam, ob quam cognoscuntur creaturæ; nec creaturas, ob quam Deus: sed vtrumque æquè immediatè cognosci, non secus ac duo lapides possunt vno actu immediatè videri, quin alter sit alterius ratio formalis obiectiua. Ab ea sententia est P. Vasquez in 1. p. disp. 50. quam non leui ratione tuetur.

§. 7. At communior sententia fert, posse Deum esse rationem formalem obiectiuam, qua possunt creaturæ cognosci, eos absque numero refert P. Salas adductus §. 5. nu. 88. Probatur Primùm. Deus est sibi ipsi ratio obiectiua attingendi creaturas; quarum est obiectum formale, ac primarium: ergo & creaturæ potest Deus esse ratio formalis obiectiua alias attingendi. Antecedens probò: quia Deus cognoscit suam de creaturis comprehensionem: eas enim comprehendit, quòd ipse non ignorat: siquidem affirmat eam cognitionem: at nullus prudens affirmat, quòd ignorat. siue ergo Deus actu reflexo cognoscat suam cognitionem; siue illemet actus etiam ratione nostra sit reflexus; certè Deus scit creaturas à se comprehendi, at implicat Deum eam reflexam cognitionem habere, quin actus directus sit ratio cognoscendi creaturas: ergo. Probatur Minor: quia iam potest cog-

nosci actus esse de creaturis, quin iisdem terminis s. Thom. cognoscantur creaturæ. Primam autem consequenti-
tiam probò: Primùm, quia, vt Deus sine relatione transcendentali fuit sibi ratio obiectiua, cur non erit & mihi? Secundò, quia creatura etiam immediatè videt Deum scire creaturas: hoc enim prædicatum quid repugnat in ipso cognosci?

§. 8. Secundò probatur: Omne, quòd est realiter, est etiam cognoscibile: sed Deus habet connexionem necessariam cum creatura possibili: ergo est cognoscibilis ea connexio. Non dico eam connexionem esse in entitate talem vt Deus non esset, si creaturæ essent impossibiles: sed ita comparari creaturas cum Deo, vt illi sint nexæ, & Deus habeat prædicatum necessarium potentis illas producere: est ergo ille nexus non in entitate, quæ esset illis impossibilibus; sed in denominatione: sed illa connexio ita potest cognosci, vt cognoscatur esse connexio, & Deo realiter esse illud prædicatum, quòd fieri non potest, quin ex vi illius ea cognitio transeat ad creaturas. de quo vberius dixi disputans de visione Dei.

§. 9. Arguit P. Vasquez ea disp. 50. c. 2. & 4. Deus nullum dicit ordinem transcendentalem ad creaturas, neque in ratione potentia, neque cognitionis, neque voluntatis: ergo in Deo vt in obiecto cognito non possunt cognosci creaturæ. Patet consequentia: quia in aliquo non potest videri aliud nisi ratione ordinis ad illud. Confirmatur Primò. Si creaturæ essent impossibiles, Deus in se ipso vt in obiecto cognito illas non cognosceret: ergo neque nunc: quia nunc Deus ita se habet, ac si creaturæ essent impossibiles: quia ab illis minimè penderet: obiectum autem semper idem non potest diuersimodè ferri in aliud, sed semper eodem modo. Confirmatur Secundò. si solus vnus angelus esset possibilis, non posset in Deo cognoscere creaturam aliam: ergo neque nunc: quia Deus eodem modo se habet, ac si nulla creatura esset possibilis. Confirmatur Tertio. actus liberi Dei non possunt videri in essentia priùs cognita: quia Deus amans eodem modo se habet, ac si non amaret: ergo neque possunt videri creaturæ propter eamdem rationem.

§. 10. Hoc argumentum est quidem efficax; impugnat tamen Primò per instantiam: si creaturæ non essent possibiles, Deus neque absolutè illas posset, neque cognosceret, neque amaret: ergo nunc neque eas potest, neque cognoscit, neque amat, quia nunc eodem modo se habet realiter, quo se haberet, si illæ essent impossibiles: sed tunc illas neque posset, neque cognosceret: ergo neque nunc: quia idem semper idem natum est facere semper idem. Reddat igitur P. Vasquez rationem, cur Deus sine mutatione reali nunc possit, cognoscat & amet creaturas, ex suppositione quòd sint possibiles; & tamen neque eas posset, neque sciret, neque amaret, si essent impossibiles. & in hoc discrimine ab ipso reddito, ego constituo discrimen, cur possit nunc Deus manuducere ad cognitionem creaturarum, & non posset, si essent impossibiles.

§. 11. Ad argumentum ex §. 9. aliqui dicunt, Deum referri transcendentaliter ad creaturas: quos impugnaui disp. 15. Metaphys. sect. 8. Alij respondent, Deum non habere eum ordinem, habere tamen naturalem connexionem cum creaturis possibilibus. Contrà: Illa connexio naturalis est trans-

s. Thom.
9. 10.

transcendentalis ordo; qui nihil aliud est, quàm repugnancia huius rei ex suppositione, quòd alia repugnet: hoc autem significat naturalis connexio: quia quæ connexa sunt, deficiunt scilicet vno deficiente: quòd si vno deficiente cætera non deficiunt, iam non habent connexionem, sed separationem.

§. 12. Ut respondeam, animaduerto in Deo sine mutatione reali esse diuersa prædicata intrinseca, diuersa, inquam, non in entitate, sed in denominatione: Deus enim nunc non amat realiter alium mundum, neque illum cognoscit intuitiue; quod tamen potuit realiter amare, & intueri, per eundem omnino actum, per quem nunc illum neque amat, neque intuetur. Propterea dicimus eum amorem non esse in Deo quoad denominationem, esse verò quoad entitatem: quia eadem entitas manet nunc, ac tunc maneret: illa verò met quæ tunc amaret, & videret mundum, nunc illum neque amat, neque videt. Quando autem dicitur de esse quoad denominationem, non dicimus illam realiter deesse in sua existentia; sed illam tunc non denominare, id est, non amare. Vt imur autem terminis significantibus defectum: quia sicut aliqua entia omnino absoluta ab omni relatione secundum esse significamus verbis relatiuis, quæ propterea sunt relatiua secundum dici: ita in Deo significamus aliquos effectus formales per verba significantia defectum: ob quod possunt dici defectiua secundum dici.

§. 13. Hoc prædicatum secundum entitatem non habet necessariam connexionem cum creaturis possibilibus, quia illis impossibilibus adhuc existeret illa entitas prædicati: at verò in ratione denominationis habet necessariam connexionem cum creaturis possibilibus: quia illa denominatio est potentis absolute, scientis atque volentis: at verò impossibile est hanc denominationem esse, quin sint possibilis, scita & amata; illa tamen connexio non est transcendentalis ordo: hic enim est connexio secundum entitatem, & non secundum denominationem tantum: vt patet in actibus liberis: qui in ratione denominationis scientis non possunt esse sine creatura existente; & tamen nullum dicit ordinem transcendentalem ad illam.

§. 14. Ad argumentum ex §. 9. nego consequentiam. Ad probationem, dico posse cognosci terminum alicuius rei in ipsa re, vel propter ordinem transcendentalem, vel propter connexionem cum illo ratione denominationis: concepto enim prædicato *potens realiter*, tam necessariò infertur terminus possibilis, quàm concepto prædicato *visuum* infertur visibile: sufficit enim connexio physica vel in entitate, vel in denominatione. Ad rationem, respondeo Deum vtroque casu esse immutatum; sed in altero habet realiter denominationem, quæ non haberet realiter in alio, vt ostendi §. 4. penetrat autem illà denominationem potest penetrari etiam terminus: si enim ego cognosco Deum esse potentem absolute, rectè infero possibile. Ad primam confirmationem respondetur eodem modo: habet enim Deus nunc denominationem in qua cognoscat creaturas; ea autem careret creaturis impossibilibus. Ad secundam confirmationem respondetur eodem modo. Ad tertiam, respondetur actus liberis non posse cognosci in essentia ex defectu mutationis: quia tamen natura diuina illis

mutaretur physice, adhuc non possent in illa cognosci, vt patet in nobis, in quorum essentia non cognoscuntur actus liberi vt existentes. Ratio est: quia actus liberi secundum denominationem sunt contingentes in essentia: actus autem necessarij sunt necessarij, & ab illa ratione nostra deriuatur infallibiliter.

§. 15. Secundò mouetur: quia si aliqua creatura potest videri, videretur necessariò omnes: sed non possunt omnes videri: ergo nec aliqua. Minor probatur: quia Deus potest comprehendere. Maior patet: quia si viderentur, esset aut propter ordinem transcendentalem Dei ad illas, aut propter eam connexionem in denominatione omnipotentis & omniscientis: sed ille ordo æquali necessitate duceret in omnes, ac in singulas: ergo. Probatur Minor: quia non habet connexionem cum vna magis, quàm cum alijs. Confirmatur. quia non est vnde oriatur discrimen, cur videatur vna, quin alia. Non ex obiecto, quod idem est, & ad omnia comparatur eadem ratione; non ex lumine gloriæ, quod est de Deo sub eadem ratione formali: vnde ergo oriatur id discrimen? Quod argumentum efformat ea disp. 50. cap. 5.

SVBSECTIO II.

Opinio Durandi.

§. 16. Durandus in 4. d. 49. q. 3. art. 13. opinatur à quolibet beato videri necessariò omnia possibilis in specie & indiuiduo, quoad quid est; nullum tamen in actuali existentia: quod etiam adscribit scientiæ beati animæ Christi in 3. d. 14. q. 2. n. 4. à qua sententia sunt multi. Durand. id probat: quia Beati vident in Deo necessariò, quæ in ipso necessariò repræsentantur: sed omnia possibilis repræsentantur necessariò in Deo: ergo necessariò videntur à beato. Maior videtur esse certa: quia si necessariò repræsentantur, non est in potestate Dei ea non repræsentari. Minor probatur: quia causa repræsentat necessariò suos effectus: ob quod causa creata cognosci quidditatiuè non potest, quin cognoscantur effectus: sed Deus est causa omnium possibilium in indiuiduo: ergo omnia in eo cognoscuntur necessariò.

§. 17. Nec mihi placet hæc opinio, vt nec plerisque. Probatur Primùm: Deus potest quidditatiuè cognosci, quin cognoscantur, quæ sunt extra quidditatem eius: sed eum esse potentem creaturas est extra eius quidditatem: ergo cognosci potest quidditatiuè, quin cognoscatur esse potens creaturas. Maior est certa: nec enim est de creaturis ipsis, quæ sunt omnino extra Deum; sed de respectu Dei ad illas: quem dico esse extra quidditatem Dei. Quia Deus est tam absolutus à creaturis, vt esset Deus cum hac omnino quidditate; tamen si nulla creatura esset possibilis: tunc autem non esset absolute potens creaturas: vt nunc non potest absolute chimeram: ergo cognosci potest quidditatiuè, quia cognoscatur in ordine ad creaturas. Antecedens probatur disp. 15. Metaph. sect. 9. probans Deo nullum esse transcendentalem ordinem ad creaturas. Consequentia liquet ex maiori propositione syllogismi, in quo probando persisto.

§. 18. Secundò probatur, admissò disputandi gratia ordine transcendentali Dei ad creaturas: ille

ille ordo est extra quidditatem Dei: hæc ergo potest quidditatiuè cognosci, quin ille ordo. Antecedens probō: conceptus quidditatiuus Dei est ratione prior, quàm omnipotentia: ergo ordo ad creaturas est extra quidditatem Dei. Consequentia patet: quia attributa vt sunt posteriora quàm essentia, sunt extra illam. Antecedens probō: tum quia omnipotentia est attributum, ante quod concipimus proprium Dei conceptum illa priorem: tum quia in Deo prius cognoscimus rationē entis à se completi, cui debentur omnes perfectiones simpliciter simplices: quarum prima est cognitio sui: in qua sita est quidditas Dei. vel certè concipitur vt primum attributum: & vt in nobis prius est rem in ordine ad se compleri, quàm ad aliud: ita in Deo.

§. 19. Probo autem primam consequentiam è §. 18. tum ad hominem. Durandus enim censet creaturas non videri necessariò in ideis; sed in omnipotentia: quia ideæ sunt posteriores, quàm omnipotentia, & extra quidditatem: sed omnipotentia est tam posterior quàm essentia, quàm sunt ideæ posteriores quàm omnipotentia: ergo eadem est ratio. Secundò, quia conceptui formali quidditatiuo non respondet in obiecto nisi quidditas: sed in quidditate obiectiua Dei non est omnipotentia: ergo hæc non cognoscitur necessariò conceptu quidditatiuo, quemadmodum nec concipitur immensitas, nec iustitia, nec alia attributa. Ratio à priori est: quia conceptus quidditatiuus explicat clarè quod *quid est rei*: quo conceptu retinetur essentia obiecti: in quo est obiectum ipsum, quod illo conceptu constituitur & distinguitur quidditatiuè ab aliis. Attributa autem non constituunt formaliter obiectum, nec discriminant essentialiter: sed accidentaliter logicè.

§. 20. Tandem hæc essentia Durandi nõ distinguit conceptum quidditatiuum à comprehensiuo: hic enim est, qui in obiecto primario cognoscit omnes eius effectus: ille autem, qui solam quidditatem cognoscit aut in se, aut in causa, non tamen omnes eius effectus. Nec verisimile est animam separatam cognoscere necessariò omnia possibilis ab angelo supremo, quem viribus naturæ inuenitur.

§. 21. Obijcis Primùm: Implicat videri quidditatiuè quidditatem, quin simul videantur omnia attributa, quæ sunt idem realiter cum illa: ergo implicat quidditatiuè videre Deum, quin videantur creaturæ. Probo consequentiam: quia implicat videri quidditatiuè omnipotentiam, quin videantur creaturæ. Aduerte, attributum omnipotentiam (idem est de alijs) posse considerari vt est in se, seu in ordine ad se: item in ordine ad creaturas, vt est idem cum essentia à parte rei. non potest essentia cognosci, quin eodem pacto omnipotentia: at verò vt explicatur hac voce *omnipotentia*, non est opus vt videatur: quia idem esset ac posse formare conceptum de ipsa vt denominatur potens: videtur ergo omnipotentia vt est in re, & significatur hac voce *Deus*: at non cognoscitur vt connotat in obliquo creaturas, & significatur hac voce *omnipotentia*: satis enim est cognosci vt est ens à se, & vt illi debentur perfectiones infinitæ, & (si vis) vt illi debetur perfectio productiua: per se; si producibiles sunt. At re ipsa esse aliquas producibiles, non est opus vt cognoscatur, vt non cognoscuntur.

Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

tur ideæ in sententia Durandi, de quo iterum *S. Thomæ* §. 23.

§. 22. Obijcis Secundò, non posse cognosci quidditatiuè rem, quin cognoscatur eodem actu eius perfectio: ergo non potest cognosci essentia, quin attributa. Antecedens est B. Thomæ i. p. q. 87. art. 3. vbi docet à Deo cognosci suum actum, item & ab angelo suum, quia actus pertinent ad perfectionem Dei & angeli. Respondeo Primùm, probari posse ita contingere; non tamen esse necessarium, nec dixit S. Thomas id angelo contingere necessariò: imò & ratione distinguit actum angeli circa essentiam, ac circa seipsum. Secundò respondeo, esse nonnullos conceptus quidditatiuos absolutos à suis effectibus, alios verò ea connotantes. Exempli gr. homo est animal rationale, quod non potest cognosci quidditatiuè sineensione & ratiocinatione. Item angelus est intellectiuus, quod sine intellectu non potest quidditatiuè cognosci. At verò alij effectus non connotantur conceptu quidditatiuo: vt homo non connotat quidditatiuè risum, nec angelus motum localem: ita Deus habet conceptum quidditatiuum in ordine ad intelligendum se ipsum, non verò ad potentiam alia producendi: ob quod cognosci non potest, quin ea cognitio noscatur, potest tamen quin creaturæ.

SYBSECTIO III.

Altorum responsio ad argumenta Durandi.

§. 23. **A**rgumenta Durandi multos impulerunt in multa: censent nonnulli videri posse omnipotentiam formaliter, quin videantur effectus: ob quod non representantur necessariò in Deo intellectui creato, sed soli increato. Aiunt omnipotentiam esse conceptum obiectiuum absolutum, qui à nobis malè explicatur connotatione ad creaturas, cum in se sit absolutus. Hæc responsio turbauit multos, opinantes omnipotentiam formaliter nec apprehendi posse absque creaturis. Facile componā utrosque. Auctores huius responsi distinguunt in obiecto plures formalitates obiectiuas, v. gr. in homine animal, & rationale; quæ cognoscuntur actibus diuersis; ita vt cognitio abstractiua ex animali non attingat realiter rationale. ita distinguunt omnipotentiam ab essentia formalitate se tenente ex parte illarum: item asserunt actu intuitiuo non posse vnum attingi sine alio: ob quod cognitio beata, quia est intuitiua Dei, attingit immediatè & formaliter omnipotentiam, vt est omnipotentia distincta ab essentia; nec potest vna attingi, quin & alia eadem ratione. Alij verò censent ex parte obiecti nullam esse formalitatem distinctam, sed tantum ex parte modi concipiendi: cum autem dicimus omnipotentiam formaliter, explicamus essentiam Dei connotando creaturas. Quia verò ego in ea sum opinione, quæ negat formalitates obiectiuè distinctas, dixi §. 21. cognosci posse omnipotentiam in re, vt est Deus, quin vt connotat creaturas, & explicatur voce *omnipotentia*, quæ ordinem illum explanat.

§. 24. Adhuc tamen eos auctores vrgebo. quando intuitiuè cognoscitur Deus, cognoscitur per se tam clarè & explicitè formalitas omnipotentia, quàm formalitas essentia diuinæ: ergo sicut beatus ex vi eius actus indicat obiectum esse diuinam

Gg essen-

S. Thom.
q. 10.

essentiam; etiam iudicat id esse omnipotentiam. Probo consequentiam: quia per te essentia & omnipotentia tam eadem ratione noscuntur, ut nullo prædicatum à cognitione illa competat essentia; quin competat omnipotentia; alioquin iam non attingerentur eadem ratione: sed essentia ita cognoscitur, ut iudicet obiectum illud esse Dei essentiam: ergo omnipotentia ita cognoscitur, ut iudicetur esse omnipotentia: sed non potest sic iudicari, quin cognoscatur in obliquo creaturæ: ergo. Probo Minorem: ceteri eam esse omnipotentiam & potentiam factiuam angeli, est ceteri angelum esse ab illa possibilem: sed hoc ceteri non potest, quin angelus cognoscatur: ergo. Minor videtur ex terminis nota. Maior probatur. Deum esse factiuum angeli, & angelum factibilem à Deo, sunt idem formaliter, ut hominem esse visuum lucis, & lucem esse visibilem ab homine. quia ab eadem ratione qua homo est videns lucem, lux est visa ab homine; & qua homo factus est à Deo, Deus hominem facit. vel saltem vnum inferitur ex alio necessario.

§. 25. Dices, videri quidem formalitatem omnipotentiam; at non iudicari eam esse omnipotentiam. Contrà: Ergo in ratione obiecti visi habet prædicatum contradictoriè oppositum, ac habet essentia. Probo consequentiam, quia essentia ita videtur, ut beatus rogatus quid videat; possit respondere, *Essentiam Dei video*: at si rogetur quid amplius videat, si respondere possit, *Video potentiam factiuam creaturarum, angelorum, &c.* iam concipit angelos & creaturas: si verò id respondere non possit, ergo non iudicat de omnipotentia, ut de essentia: ergo in affirmatione præcindit alteram ab altera. Quare concludo alterum è duobus: aut essentiam posse intuitiue præcindi ab omnipotentia ex parte obiecti (quod volum. 1. disp. 6. Metaph. à §. 176. dixi esse consequenter dicendum:) aut videri omnes creaturas necessario, quæ sunt terminus formalitatum omnipotentia. Quo autem pacto cognosci possit omnipotentia formaliter absque creaturis, dicam §. 136.

§. 26. Opinantur alij, visione beata cognosci necessario creaturas possibile confusè & generatim; nullam verò in indiuiduo, aut specie. Quia ille terminus præcisè videtur, qui specificat quidditatiue omnipotentiam: sed nulla creatura in indiuiduo aut specie specificat quidditatiue omnipotentiam; eam autè specificat creaturæ in commune: ergo hæc videntur necessario, non illæ. Major est certa: quia quod quidditatiue connotat aliud, non potest quidditatiue sine connotatione ad illud cognosci: quod autem non connotatur quidditatiue, non est cur necessario connotetur cognitione quidditatiua. Minor probatur: quia omnipotentia per se primò connotat terminum sub ratione communi producibilis; secundariò autem hoc & illud factibile; siue terminos speciales: visus enim per se primò tendit in lucem, & colorem; secundariò in album, & nigrum: materia prima per se & primariò respicit formam substantialem ut sic; hanc autem & illam secundariò.

§. 27. Hæc responsio est confutanda Primùm ex vol. 1. disp. 8. Phisic. à §. 57. vbi probauit, causam æctiuam non constitui in ordine ad effectum in commune; sed in singulari: item omnipotentiam in ordine ad hæc & illa singularia in singulari: re-

cipit enim terminum per se primò ut factibilem; & ut ab ipsa existat: sed terminus est factibilis per se primò, & existit ratione singularitatis; rationes autem communes non existunt, nec fiunt per se primò. Dixit enim Aristoteles, *Medicus non curat hominem, sed Socratem, aut Chalam*: id est, curatio non est ratione hominis ut sic, sed ratione huius hominis. ita vniuersalia fiunt & existunt non ratione sui, sed singularium: omne enim quod existit, ut existit, est singulare; vniuersale autem, ut cognoscitur. Dicitur autem terminus omnipotentia ens creabile ut sic, ad explicandum terminum adequatum conuari ex omnibus entibus creabilibus: ita visus dicitur esse in colorem ut sic, id est, in omnes colores. Vnde arguo: Terminus specificans omnipotentiam per se primò sunt omnia creabilia in singulari: sed per te cognita quidditatiue omnipotentia debet necessario cognosci terminus eam specificans: ergo debent cognosci omnia possibilia in singulari. Et quamuis omnipotentia respiciat terminum sub ratione communi factibilis, scientia illum respicit sub ratione particulari: scientia enim Dei nihil cognoscit confusè, nec rationes communes nisi ut contractas ad singularia: quæ omnia in singulari cognoscit. igitur quidquid cognoscit, est sub ratione singularitatis determinatæ, & modo clarissimo: ergo in scientia Dei prius cognita, cognoscuntur omnia possibilia in singulari: quia eius obiectum, quasi specificatiuum, sunt singularia in singulari.

§. 28. Secundò, quod dicitur necessario videri creaturas in commune, si id sit ratione visionis beate necessario; impugnatur tum absolute: quia potest videri quidditatiue Deus, quin omnipotentia, ut dixi §. 17. tum ad hominem: visà quidditatiue omnipotentia non videntur necessario indiuidua creabilia, nec species: quia licet omnipotentia sit ordo ad illa, non tamen quidditatiue: sed necessentia Dei est quidditatiue ordo ad creaturas in commune: ergo viso Deo quidditatiue, non est opus cognoscere creaturas in commune; Minor probatur: quia omnipotentia est attributum Dei, & extra eius essentiam, ut ordo ad has creaturas in specie est extra quidditatem omnipotentia. Consequentia autem est clara: quia vbi est eadem distinctio, est idem fundamentum ad cognoscendum vnum sine alio.

SVBSECTIO IV.

Durando respondetur.

§. 29. **A**D argumentum Durandi in §. 16. concedo Maiorem, & nego Minorem: quia in Dei quidditate nihil repræsentatur necessario præter ipsam quidditatem formaliter: attributa autem cognoscuntur formaliter ut sunt idem cum essentia; non verò formaliter necessario, ut explicantur ijs vocibus, *Omnipotentia, scientia, iustitia, &c.* ut dixi §. 21. vnde nec omnia, nec vnum creabile in genere, aut indiuiduo cognoscitur necessario. Ad probationem Minoris, respondeo causas creatas repræsentare necessario aliquem effectum: quia illarum quidditas est in ordine ad illum, ut de angelo & homine dixi §. 22. si autem sit aliqua causa creata, quæ quidditatiue non constituatur in ordine

dine ad effectum, poterit quidditatiuè absque illo cognosci. Nulla creatura potest ita cognosci, quin ad aliud referatur, saltem ad Deum; & fortè ad alia: Deus autem potest, quia tota eius essentia constituitur quidditatiuè ratione entis à se, & se cognoscentis, aut cognoscenti sui: est ergo causa possibilium non quidditatiuè, sed accidentatiuè logicè, vt est idea.

SECTIO III.

Quid de cognitione possibilium in Deo vno eodemque actu?

§.30. **Q**uestio hæc potest institui de cognitione creaturarum in Deo vno actu aut pluribus. Vno, vt vtrum idem actus representare possit Deum vt obiectum primum, & omnia possibilium in indiuiduo vt secundarium? Pluribus autem, vt vtrum in Deo possit videri omnia actibus infinitis: de quo agendum sect. 4.

SVBSECTIO I.

Non possunt cognosci in Deo omnia possibilium vno actu.

§.31. **D**ico Primò. In Deo non possunt cognosci omnia possibilium in indiuiduo, nec in specie, vno eodemque actu. Hæc conclusio est receptissima S. Thomæ 1. p. q. 12. art. 8. & 3. p. q. 10. Caiet. & totius scholæ Thomisticæ. S. Bonau. in 3. d. 14. q. 3. negat enim actualem omnium cognitionem, vt Henricus, Scotus, & alij antiqui. Nominales negant vllam creaturam cognosci posse in Deo: consentiunt omnes ferè nostri, P. Suarez hic, & 1. p. P. Valquez ibidem, P. Ragusa, & P. Monzeus, P. Arrubal, & alij.

SVBSECTIO II.

Probatio S. Thomæ.

§.32. **S**. Thomas 1. p. q. 12. art. 8. & 3. p. q. 10. art. 1. Sensus non posse in Deo omnia possibilium cognosci: quia Deus comprehenderetur à creatura: hoc autem est per absurdum: ergo. Probat Maiorem: quia tunc causa comprehenditur, quando in ipsa cognoscuntur omnia, quæ facere potest.

§.33. Hæc ratio impugnat Primùm à Durando: quia non cognoscuntur existentia liberè, nec possunt cognosci: quod Durand. exigit ad comprehensionem. Secundò, quia posset cognosci Deus in genere causæ efficientis creaturarum omnium, & non comprehendi: ergo ex ea cognitione non concluditur comprehensio. Probo antecedens: quia admissa eà cognitione, potest beatus non cognoscere ideas omnium creaturarum: item varias virtutes morales, quibus eas posset producere: sed hoc posito ea cognitio non esset comprehensio: ergo ex eius positione Deus non comprehenditur. Maior patet: quia, sicut per se potest Deus quidditatiuè cognosci, quin clarè in ratione causæ horum & illorum effectuum: ergo etiam quin clarè in ratione idearum: tum etiam quia non est opus, vt ex cog-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

gitione adæquata vnius attributi concedamus eadem omnium. Demus cognosci Deum in ratione causæ physicæ omnium rerum: illæ possunt imperari omnipotentia ab amore Dei, à misericordia, à iustitia, sexcentisque alijs virtutibus Dei. Quod imperium est accidentarium ipsis creaturis; quæ per se exigunt voluntatem aliquam Dei: at eam esse huius aut illius virtutis est illis per accidens: ergo ex cognitione omnium creaturarum non concluditur necessariò cognitio de ideis, aliisque virtutibus.

§.34. Hoc autem officere comprehensioni probatur apertè: comprehensio est cognitio omnium, quæ formaliter & eminenter sunt in obiecto, tam clara, vt illa omnia posset affirmare: sed tunc ea cognitio non esset omnium, quæ formaliter sunt in Deo, tam clara, vt ea omnia posset affirmare: ergo non esset comprehensio Dei. Maior est ex terminis nota, & S. Thomæ: qui ea ratione negat cognitionem omnium possibilium, ne cognitio Dei sit tam clara, vt posset de illo omnia prædicata affirmare, nempe eum esse causam in actu primo angeli, hominis, & aliorum: sic enim latet aliquid cognoscentem. Nisi enim possumus dicere: Deus potest angelum producere; non formamus cognitionem claram de omnipotentia illo respectu & consideratione: id enim sufficit huic instituto. Minor verò probatur: quia tunc non posset beatus affirmare: *Deus habet ideas: Deus potest misereri, punire, &c.* Quod argumentum habet neruos.

§.35. Obiicis Primùm: Tunc comprehenderetur omnipotentia: hoc autem est absurdum: ergo. Respondeo Primùm, non tamen facilè probatum iri Minorem: quia Scriptura, Patres, & Theologi dicunt Deum esse incomprehensibilem: tunc autem incomprehensibilis maneret: at non dicunt omnipotentiam, aut aliquod attributum vt ratione distinctum ab alijs, & ab essentia, non posse comprehendi: ea enim non esset absolutè comprehensio Dei, sed secundùm quid. Secundò Respondeo, negatà Maiori: quia omnipotentia est idem ac Deus, & idea, & aliæ virtutes Dei: sed vt comprehenderetur, opus esset vt cognosceretur sub omni ratione, & prædicato sibi intrinseco: alioquin laterent eius prædicata: ergo nec omnipotentia comprehenderetur. Do potentiam creatam posse comprehendere, quin comprehendatur substantia, cui inest; non verò omnipotentiam, quin Deus: quia creata est realiter distincta à substantia: increata est idem, ac propterea vt comprehendatur, debet cognosci vt est realiter idem cum omni prædicato, & respectu ad omnia, ad quæ omnia sua prædicata realiter illum dicunt. ea igitur cognitio in ordine ad solas creaturas est adæquata in ratione faciendi; non tamen ipsius potentia absolute, & in se considerata: sed est actus illi etiam in ratione obiecti inadæquatus & præcisus: vt enim animal comprehendatur rationale, idem cum animali: ita nec omnipotentia, nisi cognoscantur omnia prædicata, cum quibus est idem.

§.36. Obiicis Secundò: Si possunt cognosci omnes creaturæ in omnipotentia: ergo etiam poterunt cognosci idea, virtutesque morales. Distinguo consequens: omnia prædicata, & omnes creaturæ simul, nego consequentiam; aliqua prædicata, concedo: vt enim nulla est creatura, quæ non possit in actu cognosci, non tamen simul cum alijs per te,

Gg 2

ne

S. Thom.
2. 10.

ne Deus comprehendatur: ita nullum est prædicatum intrinsecum, quod cognosci non possit, non tamen cum cæteris omnibus, ne Deus comprehendatur: cur igitur hæc ratione non impediatur cognitio omnium prædicatorum simul, ut impeditur cognitio omnium creaturarum? Ipsi dicunt cognosci infinita tam existentia, quam possibilis; negant tamen posse omnia cognosci simul, posse tamen diuisim: rationem que reddunt, quia Deus est incomprehensibilis: comprehenderetur autem visione omnium, siue vno, siue pluribus actibus. Eadem ratione ego dico posse cognosci omnia possibilis in Deo, quin vno aut pluribus actibus possint cognosci omnia prædicata diuina relatè ad creaturas: quia Deus est incomprehensibilis; comprehenderetur autem, si omnia cognoscerentur vno actu, aut pluribus. Est igitur eadem ratio ac illis. Etenim prædicata Dei sunt multò plura, quam creaturæ possibilis; quia in omnipotentia sunt tot prædicata quot creaturæ. In voluntate sunt infinita plura, quia vna creatura potest amari ob infinitos fines: in intellectu autem cognoscuntur omnes illi actus, creaturæ que omnes. ut ergo omnes creaturæ possibilis sunt plures, quam quodlibet infinitum à nobis cognoscibile: ita prædicata diuina sunt multò plura creaturis possibilibus: ergo sicut à cognitione vnius infiniti non infertur omnium creaturarum cognitio: ita nec à cognitione omnium creaturarum infertur cognitio omnium prædicatorum Dei, nec comprehensio omnipotentia. quod argumentum est robustum.

§. 37. Secundò ad hominem probo contra S. Thomam non fore comprehensionem cognitionem omnium creaturarum in Deo: quia ipse ait. 7. q. 12. in 1. p. ad comprehensionem exigit, ut obiectum cognoscatur, quantum cognoscibile est; ita ut *quod quantum* non solum dicat obiectum adæquatè cognitum, sed etiam modum cognoscendi; quo modo actus æquetur obiecto. Primum id probat in corpore: quia si quis per demonstrationem cognoscat obiectum, & omnia, quæ in illo continentur, illud comprehendit: si autem per opinionem eadem omnia cognoscat, non comprehendit: quia præter cognitionem omnium exigitur quidam modus perfectionis in actu, quia igitur opinio non accedit ad gradum perfectionis, quem obiectum exigit in cognitione sui; ideo opinio non est comprehensio, licet eadem cognoscat quæ demonstratio.

§. 38. Quo constituto, ait S. Thomas, nulla cognitio creata attingit illum modum cognitionis, quo Deus est cognoscibilis: quia ipsa cum sit infinita per essentiam, est cognoscibilis modo infinito per essentiam: sed nullus intellectus creatus potest habere in cognitione modum infinitum per essentiam: ergo nullus potest cognoscere Deum modo, quo petit: ergo nec comprehendere. Quod clariùs dixit ad secundum: potest enim aliquod obiectum cognosci adæquatè tam ex parte subiecti, quam omnium prædicatorum, & non comprehendit: quia non ita perfecte cognoscitur, ut est cognoscibile. vnde deducit Deum à creatura non comprehendendi, licet videat omnia prædicata Dei: quia illa videt modo finito; Deus autem petit modum infinitum. Recognosce Caietanum in eum articulum.

§. 39. His constitutis, ita argumentor: Quamuis creatura per possibile, vel impossibile videret

Deum, & in eo omnia prædicata ut sunt ad intra, & referuntur ad extra; adhuc non videret Deum, quantum ipse petit in modo visionis: ergo non comprehenderet Deum. Antecedens probo: quia illa visio esset creata & finita in substantia & modo; Deus autem infinitus. quæ ratio est ipsius S. Thomæ. Consequentiam probo ex eodem Doctore sancto.

§. 40. Dices, idem esse cognoscere omnia possibilis in Deo, & æquari Deo in modo cognitionis; ut docet S. Thomas 3. Contra Gent. cap. 56. Contra: Idem S. Thomas admittit posse in aliquo obiecto cognosci omnia eius prædicata, quin æquetur ei cognitio in modo: ergo cognitio omnium in Deo non est æqualitas cognitionis cum Deo. Dicit autem, cur ea cognitio foret æqualis Deo non solum obiectiue, sed in modo, & entitatiue? Non, quia esset comprehensio: hæc enim est petitio principij. probo enim eam non fore comprehensionem: quia licet repræsenteret omnia, non tamen modo æquali. tu verò probas æqualitatem in modo: quia esset comprehensio: conclusionem ergo pro principio vltimas. Nec item esset infinita per essentiam; quia cognosceret se ipsam: quia S. Thomas 1. p. q. 87. art. 3. docet cognitionem angeli de se ipso esse reflexam de se ipsa. nec item, quia repræsenteret infinita. tum quia in sententia S. Thomæ 3. p. q. 10. art. 2. expressè asserit cognosci in Verbo ab anima Christi omnia, quæ vniquam existunt; quæ quidem sunt infinita: tum quia & cognitio infiniti per essentiam non est infinita; cur erit infinita cognitio creaturarum infinitarum? Licet enim perfectius sit cognoscere omnia in Deo, quam solum Deum; ut arguit S. Thomas 3. Cont. Gent. cap. 56. tamen ille excessus non arguit infinitatem: quia obiectum, quod denuò additur, non est tam infinitum, quam Deus.

§. 41. Pone cognitionem naturalem de Deo ex creaturis: pone cognitionem quidditativam de Deo, & in illo de plurimis creaturis: pone item cognitionem hanc Dei, & plurium in illo creaturarum; item aliam eiusdem Dei, & infinitarum creaturarum in illo. Sic argumentor: Cognitio Dei, & plurium creaturarum in illo plus excedit cognitionem naturalem Dei ex creaturis, quam cognitio infinitarum in Deo cognitionem plurium finitarum; & tamen excessus ille non est infinitus: ergo nec hic. Maior patet tum ratione obiecti materialis, quod in cognitione naturali est creatura, in visione Dei est ipse Deus: tum in modo: Deus enim cognoscitur quidditatiue in se ipso; secus per aliam. tum Tertio in gradu entis: visio enim est supernaturalis, & ex genere suo perfectissima inter cognitiones creatas: hi autem excessus non reperiuntur inter duas visiones Dei, alteram plurium creaturarum in Deo; alteram infinitarum: ergo nullo capite esset cognitio illa infinita per essentiam.

§. 42. Caietanus in art. 8. vers. *Scors quoque*, ait cognitio adæquato termino potentia, potentiam quoque adæquari cognitione, & cognosci quantum est cognoscibilis: quia terminus non est infinitus utcumque, sed cognitio aut factio vno testare plura essentialiter perfectiora cognoscenda, aut facienda: ob quod censet idem esse in Deo cognosci omnia possibilis, & infinite cognosci. Hæc autem doctrina aduersa est S. Thomæ: qui ait. 7. dixit posse cognosci & subiectum, & prædicata omnia,

omnia, & omnem compositionem, quin causa comprehendatur: quia ea omnia cognoscantur minus perfecte, quam petunt: ergo ex perfecta cognitione causae, & termini adequati non inferitur cognitio rei, ut petit natura comprehensio. Non disputo, utrum Caietani doctrina sit absolute vera; sed assero eam non esse ex mente, sed contra mentem S. Thomae. Qui clarius dixisset art. 7. non comprehendi Deum: quia in ipso non possunt omnia cognosci: atque ideo nec posse Deum cognosci quantum est cognoscibilis. Sed art. 7. explicuit, quid de comprehensione sentiret: art. autem 8. non explicuit, cur cognitio omnium in Deo esset infinita in entitate, & modo: nec in eius principijs satis explicari poterit.

§. 43. Magister Bañes 1. p. q. 12. art. 8. dub. 1. vers. *Contra non latet*; & vers. *Secunda conclusio*: fatetur aperte, cognitio Deo à creatura cum omnibus possibilibus in ipso, eum ita comprehensum: quia ex parte obiecti cognosceretur, ut est cognoscibilis; quamvis ex parte modi non cognosceretur, ut potest: quia ipse se cognosceret melius. Quam doctrinam secundum se nec proba, nec improba; assero tamen esse contra mentem S. Thomae: quem Caietanus verbo tenus sequitur; Bañes autem nec verbo; maxime cum S. Thomas 3. Contra Gent. cap. 55. aperte probet, Deum esse incomprehensibilem à creatura: quia huius cognitio non potest tam perfecta, quam Dei.

SVBSECTIO III.

Aliorum rationes.

§. 44. **M**ultos fatigat propugnatio rationis S. Thomae, ut tueantur ex cognitione omnium possibilium sequi comprehensionem, & infinitum in cognitione modum. Magister Albeda 1. p. q. 12. num. 15. vers. *Pro huius*, ait creaturas habere esse duabus rationibus: Prima in ipso Deo, quod esse est formaliter creatrix earum potentia, & cognitio. Secunda, in seipsis habent esse, ut est possibile, & distinctum ab esse creatricis essentiae: item effectus possibiles posse cognosci, vel in Deo ut in obiecto; siue in illo esse quod habent in Deo, quod est omnipotentia, & idea; vel possunt cognosci in seipsis ut in genere proprio.

§. 45. His constitutis, asserit Primum, ex cognitione omnium possibilium secundum esse increatum, quod habent in Deo, rectè deduci comprehensionem Dei. Primum, quia illa cognitio esset totius Dei, & totaliter: hoc autem est comprehendere; ergo. Secundò, quia illa cognitio attingeret adequatum terminum omnipotentiae: ergo eam comprehenderet: quia illi praecriberet terminum. Tertio, ad videndos effectus requireretur lumen infinitum: sed lumine infinito cognosceretur Deus, ut est cognoscibilis: ergo.

§. 46. His autem rationibus nihil conuincit. Non Prima: Primum, quia posset in omnipotentia cognoscere beatus omnia possibilis, quin Deum totaliter: quia posset eum latere idea & virtutes morales Dei, de quibus egi §. 33. ergo ex cognitione creaturarum omnium in Deo, non cognoscitur adequatè totum esse increatum, quod habent in Deo in omni genere potentiae, ideae, virtutis, &c. Secundò, nihil probat: quia non cognosceret ob-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

iectum totaliter: quia haec totalitas duo vendicat: s. Thom. alterum ex parte obiecti, ne quid lateat; alterum 7. 10. ex parte modi, ne sit inferior quam modus obiecti: ut ex S. Thoma dixi §. 37. & 38. ea autem cognitio non esset totalis ex parte modi: ergo nec comprehensio. Secunda ratio est minus efficax: quamuis enim attingeret adequatum terminum omnipotentiae ex parte obiecti: at non modo aequali obiecto formali, ut dixit S. Thomas adductus §. 37. & 38. terminus non praecribitur Deo comprehensione, quia nec ipse eum sibi praecribit: terminus enim est affectio multitudinis finitae, infinitae autem nullus est terminus: terminus, id est, obiectum omnipotentiae, attingeretur totus: nam & à Deo attingitur: at attingeretur modo improporcionato. Secundò, attingeretur totus terminus creatus; non tamen totus increatus: quia latere possent alia praedicata realia omnipotentiae, ut dixi §. 36. Tertia ratio nihil probat: quia illa infinitudo non exigitur, ut nec ad videndum Deum. quòd si exigeretur, satis esset infinita intensio: quae adhuc esset improporcionata Deo infinito per essentiam. siue ergo haec intensio repugnet, siue sit possibilis, non sequitur per locum intrinsecum comprehensio Dei ex cognitione omnium creaturarum in illo esse increato, quod habent in Deo.

§. 47. Asserit Secundò num. 16. ex cognitione omnium possibilium in genere proprio non sequi Dei comprehensionem: quia ea cognitione Deus non cognosceretur totaliter. Id fateor: sed eadem ratione posset dici, nec Deum comprehendi ex eorum visione in se ipso: quia possent cognosci in sola omnipotentia, aut in solis ideis. At item arguuntor: Ad cognoscendas eas omnes in genere proprio exigitur lumen infinitum: sed lumine infinito cognosceretur Deus proportionatè: ergo. Probo Minorem: quia scientia infinita, qualis asserita est ab hoc auctore argumento tertio proposito §. 45. esset tam perfecta, quam scientia Dei: sed scientia Dei saltem materialiter esset comprehensio Dei: ergo & illa scientia.

§. 48. Asserit Tertio, ex cognitione omnium possibilium in Deo secundum esse possibile, quod in se ipsis habere possunt, non inferri formaliter comprehensionem Dei; inferri tamen materialiter. Prima pars probatur Primum: quia licet Beati cognoscerent omnia possibilis; tamen non cognoscerent diuinam essentiam tanta perfectione, quanta est cognoscibilis: quod exigitur ad comprehensionem formaliter. Secundò, quia omnia possibilis sunt infinita secundum quid, non simpliciter: Deus autem est simpliciter infinitus: infinitum autem non comprehenditur ex cognitione finiti. Secunda verò pars probatur: quia in Deo non possunt cognosci possibilis secundum esse creatum, quod in se possunt habere, nisi simul cognoscatur illud esse increatum, quod habent in Deo: quia medium cognoscendi esse creatum, est ipsum increatum esse in ratione ideae: sed hoc non potest ita cognosci, quin comprehendatur Deus: ergo sequitur materialiter comprehensio Dei.

§. 49. Respondeo, haec dici sine consequentia. Prima enim pars huius sententiae probatur ab auctore argumentis probantibus nec materialiter comprehendi Deum, ad quod obijciuntur à suis auctoribus. Probatur, quia ex cognitione possibilium in Deo non sequitur nec formaliter, nec ma-

S. Thom.
q. 10.

terialiter tanta perfectio in modo cognitionis, quanta reperitur in Deo: sed carentia huius perfectionis officit comprehensioni Dei: ergo ille actus nec formaliter, nec materialiter est comprehensio Dei. Secundum argumentum idem probat de comprehensione formaliter ac materialiter: eum actum fore materialiter comprehensionem, non probat: quid enim interest esse increatum habere rationem obiecti formalis, seu medij? nam illud obiectum increatum attingitur modo improporcionato; proportionem autem nondum probavit Albelda. Secundò, posset cognosci inadæquatè illud increatum esse: quia potuit cognosci vt potentia factiua, quin vt idea, nec vt virtus moralis. Vnde ergo probatur eam esse cognitionem adæquatam Dei, vt est esse increatum creaturarum?

§. 50. Tandem si actus ille est comprehensio Dei; est formaliter, & non materialiter comprehensio. Quia ideo est comprehensio, quia vel illemet actus attingit Deum vt obiectum formale, & medium: vel quia ex cognitione immediata Dei deriuatur, vt adstruit idem auctor: sed ille conceptus competit actui formaliter, & non materialiter: ergo ex cognitione possibilium omnium in Deo, sequitur formaliter comprehensio Dei. Probo Minorem: omni actui est quidditatiuus & formalissimus respectus ad obiectum formale; vt in confesso est apud omnes, præsertim Thomisticos, qui specificant omnes actus ab obiecto formali, non verò a materiali. Idemque cernitur in charitatis actu, quo diligitur proximus propter Deum, qui est formalissimè respectus ad Deum, vt obiectum formale; à quo specificatur magis, quàm à proximo: sed est obiectum formale illius actus: ergo ille actus essentialiter & formaliter specificatur à Deo vt obiecto formali: sed respectus ad primum specificatiuum est essentialis & formalis rei specificata: ergo iste respectus est formalis cognitioni possibilium: sed sub illo respectu est comprehensio Dei: ergo est comprehensio Dei sub respectu sibi formali, & primum specificatiuo; ita vt respicit creaturas secundum esse quod possunt habere, respicit formaliter Deum: quia formaliter omnis actus respicit suum obiectum formale & specificatiuum: ergo ille actus non materialiter, sed formaliter est comprehensio Dei.

SVBSECTIO IV.

Quid tandem alij censeant?

§. 51. **M**itto rationem Scoti afferentis eadem cognitionem posse cognosci infinita non actu; sed quali potentia & habitu. Non censuit Scotus, eam cognitionem inuariam posse repræsentare obiectum quod semel non repræsentat; quod illi nonnulli impingunt: sed exponenda est de eadem, vt potest interre alias distinctas circa obiecta secundaria: vt censent multi cognosci creaturas actu distincto, ac cognoscitur Deus, deriuato quidem à visione beata, & à Deo vt ab obiecto formali impulsiuo: vt conclusio cognoscitur ex præmissis: vel quia eidem cognitioni potest accedere aliquis gradus extensiuus in obiecta secundaria: vt censet P. Franc. Albertinus to. 1. q. 5. Theologica in 5. coroll. ex 1. princip. philosoph. n. 7. Scotum exponit Philippus Fab. in 3. dist. 35. num. 49. in

sensu priori. Anima Christi dicitur non posse habere attentionem infinitam, quæ necessaria est ad infinita obiecta: at & potest eam habere intensiuam; nec est necessaria: quia vt attentio ad duo non sunt due attentiones, ita nec attentio ad infinita est infinita. De quo agendum à §. 97.

§. 52. Frequentior est hæc ratio ad probandam repugnantiã omnium possibilium in cognitione: in Dei omnipotentia continentur effectus non solum infiniti numero, sed inæquales in perfectione substantiali: ita vt nulla sit substantia tam perfecta; qua maior esse non possit alia: sed tota hæc infinitudo non potest cognosci actu finito, sed exigitur infinitus: ergo actu finito non possunt cognosci in Deo omniaabilia: sed omnis actus creatus est finitus: ergo nullus potest ea omnia cognoscere. Minor propositio probatur: quia ad cognoscendum vnum obiectum perfectum exigitur cognitio perfecta; ergo ad cognoscenda infinita inæqualiter perfecta, exigitur infinita cognitio. Probatur consequentia: Primum, quia ea omnia obiecta concurrunt ad cognitionem per essentiam diuinam vt obiectum, non minus quàm si ab omnibus emitteretur vna species impressa omnes repræsentans: sed ea species esset infinita: quia daretur secundum vltimum potentia omnium obiectorum: ergo. Secundò probatur eadem consequentia argumento calculatorio: quia quælibet substantia addit gradum perfectionis: ergo infinita addunt infinitos gradus. Quo argumento vsus est Caietanus 1. p. q. 12. art. 8. P. Suarez in 3. p. disp. 26. sect. 3. P. Molina 1. p. q. 12. art. 8. disp. 3. memb. 1. P. Ragusa in 3. p. disp. 87. §. 2. P. Fasolus 1. p. q. 12. art. 8. dub. 21. & frequenter Thomistæ: cum S. Thom. q. 8. de Verit. a. 4. ad 1. asserat esse valde probabile, cognosci à beato omnes species possibles; quæ sunt infinitæ.

§. 53. Impugnatur. Primum, quia eadem ratione melius probaretur, non posse Deum quidditatiuè videri: quia subiecta infinita numero, finita tamen absolute, & in ratione entis, exiunt in cognitione infinitatem; multò melius eam exigit infinitum per essentiam, & in ratione entis obiectum: quod simpliciter, & ore pleno est infinitum, cetera omnia secundum quid. Pone vnam creaturam perfectiorem ceteris omnibus infinitis in specie inæquali: hæc meliorem vendicaret cognitione, quàm illa: sed Deus est multò melior: ergo. Confirmatur. Da cognitionem omnium possibilium in proprio genere, & alteram solius Dei: hæc est multò melior quàm illa: si hoc infinitum obiectum non exigit infinitam cognitionem; nec illa omnia.

§. 54. Secundò probatur à priori: Species impressa producta ab illis omnibus esset infinita secundum quid, & non simpliciter, multò minus quàm species impressa Dei: ergo esset principium finita simpliciter cognitionis: ergo non exigitur infinita simpliciter cognitio ad infinita cognoscenda. Antecedens probatur Primum: quia quidquid fieri potest ab omnibus creaturis collectiue acceptis, est finitum simpliciter in essentia, vt sunt omnes illæ. Item esset multò imperfeccior tota collectione: quia obiectum non est causa vniuoca, sed æquiuoca speciei impressæ. Denique causa efficiens nisi vniuoca, non communicat effectui tantam perfectionem, quantam habet in se, sed minorem: causa autem concurrentes ad effectus meliores ipsis non concurrunt sole; sed cum alijs melioribus

ribuseffectu; aut æquè bonis; vel concurrunt in aliena virtute.

§. 55. Respondent huic argumento; non semper esse bonam calculationem, vt constat ex §. 53. aliquando autem est bona; etenim obiectum infinitum potest cognosci inadæquatè, siue imperfectè: item adæquatè, siue perfectè. Quando calculatur argumentum à cognitione inadæquata vnius obiecti ad inadæquatam aliorum, non est argumentum efficax: quia obiecta vt non cognoscuntur adæquatè, ita nec exercent adæquatam suam virtutem, ac propterea nec infinitam: quando verò calculatur argumentum à cognitione adæquata vnius obiecti ad cognitionem adæquatam obiecti infiniti, tunc calculatio est bona: quia obiectum ostendit totam suam virtutem. In præfenti autem calculatio est à cognitione adæquata vnius obiecti ad adæquatam infiniti.

§. 56. Tota hæc ratio tendit ad probandum, comprehensionem esse æqualem obiecto cognito, non solum in esse obiectiuo, sed in modo, de quo erit sermo sect. 4. Nunc probò id non esse necesse in creaturis: quia angelus superior comprehendit (in scientia communi) inferiorem; & anima Christi vitionem hypostaticam: & tamen nec cognitio angeli est tam bona, quàm angelus, nec cognitio Christi, quàm vno hypostatica: ergo non exigitur ad comprehensionem creaturæ substantialis perfectio substantialis in cognitione: sed satis est quadam adæquatio obiectiua cum convenientia in aliquo gradu perfectionis, item omnes creaturæ simul non possunt producere effectum infinitum simpliciter, sed tantum secundum quid, licet totam virtutem exercent: etenim si Deus eum non potest, nec videt effectum aliquem possibilem infinitum; cur poterit creatura? Tandem Christus comprehendit infinitos actus accidentarios specie distinctos, & inæquales, quin illa cognitio sit infinita, & sub vno genere substantiæ cognoscit comprehensione infinitas substantias inæquales.

§. 57. His prætermisissis argumentis: Omnes creaturæ possunt cognosci inadæquatè in Deo: ergo ad earum cognitionem non exigitur infinita cognitio. Consequentia patet ex §. 55. Antecedens probò: omnes creaturæ possunt in Deo cognosci, quin comprehendantur: ergo & inadæquatè. Consequentia est certa: quia sola comprehensio est cognitio adæquata obiecti. Antecedens probò: res comprehendi non potest, nisi vel in se cognoscatur quidditatiuè in ordine ad omnia, quæ continet formaliter & eminenter; vel in causa æquè perfectæ: omnis autem alia cognitio non est comprehensiuæ: sed in Deo possunt cognosci omnes creaturæ, quin cognoscantur aut immediatè in se ipsis, aut in causa: ergo possunt cognosci omnes, quin comprehendantur. Probò Minorem: quia possunt creaturæ cognosci in scientia simplicis intelligentiæ Dei, quin cognoscantur in omnipotentia, & in voluntate Dei possibili quoad denominationem, vel saltem in amore simplici circa omnia: sed nec scientia, nec voluntas sunt causæ creaturarum in eas propriè: & immediatè influendo: sed tantum sunt conditiones applicantes omnipotentiam: ergo possunt in Deo cognosci, quin immediatè in se ipsis, nec in causa. Minor est certa: quia cognitio vt cognitio non est productiua obiecti; nec illud conuenit physicè, sed intentionaliter: etenim cognitio

de homine hominem representat, quem non potest *s. Thom. xi. gignere: nec item voluntas; sunt tamen principia q. 10. applicantia potentiam.*

§. 58. Maior probatur: nempe posse omnes creaturas cognosci, quin omnipotentia. Omnipotentia potest cognosci per vos, quin in ea cognoscantur omnia possibilium. hoc admitto: hoc posito possunt cognosci in scientia, & voluntate: ergo possunt omnia cognosci, quin in omnipotentia. Probo antecedens: quia si quid obesset, maximè quòd comprehenderentur aut creaturæ, aut Deus, & cognoscerentur adæquatè: sed ea cognitio nec esset comprehensio Dei: quia prædicata omnipotentia vt relata ad creaturas omnes, laterent; nec item creaturæ comprehenderentur: quia nec in se, nec in causa noscuntur: ergo ea cognitio non esset comprehensio, nec adæquata obiecto infinito. Quod argumentum est maximè efficax.

§. 59. Obijcis Primùm: cognitionem esse eadem cum omnipotentia. Contrà: Illa attributa distinguuntur ratione, & fundamentaliter: ita vt cognitio formaliter proponat Deo rationem creabilem, voluntas illam amet, & applicent potentiam Dei ad operationem. Vnde si præcisè consideretur omnipotentia, non concipitur nisi virtus factiua: si verò præcisè cognitio concipitur, non concipitur vis effectrix: ergo dum effectus cognoscuntur aut in sola scientia, aut in amore solo, non concipiuntur formaliter in causa.

§. 60. Obijcis Secundò: Visa scientiâ, videtur necessariò omnipotentia: quia creaturæ cognoscuntur à Deo vt possibile. Contrà: Illa nostra visio non esset immediata de omnipotentia formaliter, sed mediata: ob quod cognosceretur imperfectè. Deinde: Deus cognoscit creaturas in se ipso: quæ cognitio fertur in duo, & in Deum, & in creaturas. Videntur ea scientiâ à nobis inadæquatè, vt representat creaturas, quin penetremus, in quo medio eas representet: nostra cognitio ferretur immediatè in visionem Dei, mediatè verò in creaturas: in quibus cognosceret omnipotentiam in obliquo, vt eam connotamus in via: ergo posset cognosci immediatè scientiâ Dei, quin immediatè omnipotentia: item & in scientia conciperentur omnes creaturæ non in se, nec in causa: ergo conciperentur adæquatè. Ad hæc, Deus habet scientiam de creaturis in se ipsis in multorum opinione; in qua conciperentur à beato, quin in omnipotentia, quin hanc in recto conciperemus.

§. 61. Tandem probò posse cognosci omnia creabilia, quin comprehendantur, nec adæquatè cognoscantur, nec sit necessaria cognitio infinita. Quia Deus in omnipotentia potest beato monstrare omnes substantias possibile, quin comprehendatur nec omnipotentia, nec creatura. Quia potest Deus eas substantias monstrare, quin omnes illarum actiones, & effecta: cum enim Deus possit ostendere suam omnipotentiam, non monstratis omnibus creaturis, cur non monstrabit substantias creatas, quin omnes illarum effectus? Quod item aliunde pono: atqui illa cognitio non erit comprehensiuæ Dei: quin in ipso non cognoscuntur omnia possibilium, nec substantiæ creabiles comprehenduntur: quia non cognoscuntur omnia, quæ continent eminenter: ergo rectè possunt in eo cognosci omnes substantiæ possibile, quin cognoscantur adæquatè, nec actu infinito. De substan-

8. Thom.
9. 10.

tiis autem præcipuè disputant ij auctores.

§. 62. Idem probo aliunde: esto videantur omnia omnino creabilia, nullo excepto; adhuc ea cognitio potest esse incomprehensua Dei, & creaturarum: ergo non sequitur infinita, nec adæquata cognitio ex hoc euentu. Probo consequentiam: quia ij auctores eam colligunt ex adæquata horum cognitione. Antecedens probo: Deus potest in sua omnipotentia eas omnes explicare, quin explicet omnes modos, quibus eas potest: item inter illas potest latere quæ ad quam dicat ordinem, vt ad causam efficientem, aut finalem, aut effectum. Pone à me cognosci omnes homines: at non cognosco, vtrum hic sit ab illo possibilis, an à Deo? etenim ex cognitione hominis non deducitur necessariò quis possit alium gignere.

§. 63. Dices, cognosci etiam omnes actiones, quibus possint produci. Contrà: Cognoscantur sub conceptu productionis vnus hominis ab alio principio extrinseco: at non est opus, vt hæc numero productio cognoscatur esse Petri, & ab alio homine simul cum Deo, vel à Deo solo. Quid enim cogit, vt sub ijs conceptibus cognoscantur, licet cognoscantur in singulari? Item homo potest multos alios effectus: ij cognoscantur secundum se, quin penetratur quot, quibusque modis effici queant: quia earum productiones possunt cognosci, quin necessariò ducant in sua principia determinatè. Vnde concludo, non esse opus ad cognitionem omnium possibilium ea, nec omnipotentiam comprehendere, aut cognoscere adæquatè.

§. 64. Ad argumentum ex §. 52. nego Minorem: tum quia vno gradu actus possunt cognosci infinita obiecta: tum quia si esset opus maiori incremento graduum ad noua obiecta secundaria, posset visio esse infinitè intensa, vt re ipsa est. Ad probationem Minoris, nego consequentiam: exigitur cognitio ordinis altioris, non verò infiniti, vt pater in calculatione de visione Dei, & sexcentis alijs. Ad secundam probationem consequentiæ, nego Minorem: tota enim multitudo creaturarum, imò nec Deus possunt efficere speciem infinitè perfectam nisi in intentione. hæc autem infinitudo nõ est necessaria ad omnium cognitionem: quia vno gradu possunt omnia videri. Secunda probatio iam est diluta.

SVBSECTIO V.

Cur non possint omnia videri vno actu?

§. 65. Arbitror, rationem, ob quam vno actu non possunt videri omnia, quæ sunt eminenter in Deo, nec omnia Dei prædicata, vt connotant omnes creaturas, esse, quia nulla visio beata se potest cognoscere clarè & distinctè, nec in indiuiduo, nec in specie: sed omnem cognitionem creatam esse speciem distinctam à suo obiecto totali: ita vt nulla cognitio terminetur clarè & explicitè ad se, nec ad aliam eiusdem speciei. Quod in disputationibus de visione Dei latè probaui: prius autem vol. 1. disp. 10. de Anima §. 48. quod postea placuisse video P. Philippo Monzeo disp. 2. c. 9.

§. 66. Est autem hæc opinio perantiqua. Okam in 4. q. 13. art. 5. ad 2. dubium, expressè distinguit

visionem Dei à cognitione reflexa de illa: & quamuis soluit vltimum suum argumentum; non tamen cætera: quin existimat vnuersum nullum actum posse esse directum de aliquo obiecto, & reflexum sui in 2. q. 22. Gabr. in 3. d. 1. q. vnica art. 1. lit. H. paulò ante notabile secundum Supplementum in 4. d. 49. q. 3. art. 3. dub. 1. probat doctrinam Okami distinguentis necessariò actum directum à reflexo. Maior in 4. d. 49. q. 16. fine; multi item ex antiquis in eam conuenerunt opinionem. Quæ non immeritò deduci potest ex S. Thoma 1. p. q. 87. art. 3. & Caietano; vbi asserit ab angelo cognosci actum suum, quo se videt eodem actu realiter: quia eodem cognoscuntur obiectum, & eius perfectio: quia vera cognitio de se ipso est angeli perfectio: ideo cognoscitur se ipso: obiecta autem non cognoscuntur eodem actu, quo cognitio de illis, quando cognitio non est illorum perfectio; vt ibidem ostendit clarè: sed cognitio nostra de Deo non est perfectio Dei: ergo nostra visio non videt se ipsam ex hac doctrina Thomistica.

§. 67. Fundamenta huius opinionis iecit B. Augustinus tom. 3. lib. 9. de Trinitate c. 11. vbi constituit omnem cognitionem esse similitudinem sui obiecti: cum enim videmus Deum, sumus illi similes, non tamè æquales: item cum inferiora cogoviscimus, habemus eorum similitudinem. Hinc concludit Verbum esse Filium; quia est similis Patri cum æqualitate. Hæc autem omnia apertè demonstrant, à B. August. sentiri, inter obiectum & cognitionem esse realem similitudinem, ob quam & æqualitatem Verbum est Filius. c. autem 12. rationem reddit: quia ab obiecto & potentia paritur notitia: partus autem similitudo quædam est. *Primo itaque (inquit) manifestum sit posse fieri, vt sit aliquid scibile, id est, quod sciri possit, & tamen nesciatur; illud autem fieri non posse, vt sciat, quod scibile non fuerit.* Vnde liquidò tenendum est, quòd omnis res, quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab vtroque enim notitia paritur, & cognoscite, & cognitio. Itaque cum mens se ipsam cognoscit, sola parens est notitia sue: & cognitum enim, & cognitor est. E quibus liquidò constat, obiectum esse causam efficientem sui cognitionis: hoc autem fit in nobis per speciem impressam, quam S. Augustinus vtroque cap. vocat similitudinem obiecti existentem in animo aut phantasia.

§. 68. Pono ex philosophia, obiecta realiter existentia concurrere effectiue ad sui cognitionem; vel per se, si præsentia sint, & apta; vel per speciem ab illis immisam. Quòd si obiectum aut absens sit, aut improporionatum, Deus pro illo subrogat speciem, ratione cuius rectè August. dixit notitiam ab obiecto pari. Aliqui censent non subrogari speciem pro obiecto, ita vt detur, quæ ab alio erat danda. Quòd si obiectum ex se incapax est, cur datur loco illius? Respondeo, rationem non esse quòd suppleatur concursus dandus alioquin ab obiecto; sed dari loco obiecti, vt fiat similitudo expressa obiecti: sed quia ideo datur species, vt representet obiectum. Quæ representatio semper fit ab obiecto ipso, quando potest; quando verò non potest, fit à Deo, efficiente, quod alia obiecta solent: ob quod ille concursus Dei dicitur se tenere ex parte obiecti.

§. 69. Quando obiectum est formale cognitum in se, res est clara: quando verò cognoscitur in alio,

vel

vel derivatur species noua obiecti secundarij, vel primarium fungitur vice speciei: quod dicitur etiam concurrere loco obiecti secundarij. si verò obiectum est chimericum, eo modo, quo cognoscitur, datur species loco ipsius.

§. 70. Ex hac communi Philosophorum sententia probo, visionem Dei non posse cognoscere se ipsam: quia non potest esse realis partus sui, nec parens sui ipsius, id est, non potest gignere, aut producere se ipsam: sed omnis cognitio creata gignitur, patitur, & fit à suo obiecto, vt à parente, teste August. ergo nulla cognitio creata potest cognoscere se ipsam. Recognosce volum. i. disp. 10. de Anima à §. 48. quod etiam explicuit P. Monzeus disp. 2. c. 9. quia nec cognitio supponit se ipsam, & supponitur ab infinitis cognitionibus reflexis de illa: quia omne obiectum est causa sui cognitionis creatæ: at omnis causa est prior natura suo obiecto. Quam prioritatem disp. 2. c. 12. ipse satis ostendit ex August. tom. 3. lib. 4. de Genes. ad litteram c. 32. *Quam sanè notitiam* (inquit August.) *præcedebant qua fiebant: quia præcedit cognitionem quidquid cognosci potest: nisi enim prius sit, quod cognoscatur, cognosci non potest.* Constante ergo August. asserit obiectum esse causam cognitionis, & prius illa.

§. 71. Hinc fit Primò, à nulla creatura posse cognosci totam collectionem rerum creaturarum simul: non dico non posse cognosci omnes creaturas singillatim (possunt enim) sed collectim: quia nulla cognitio potest cognoscere se ipsam: ac propterea non potest cognosci tota collectio, nec comparari, nec discerni quanta sit. item quamlibet cognitionem latere infinitas alias reflexas supra illam & infinitos amores. item Deum latere omnes Beatos, vt est productiuus, cognoscitiuus, & amatiuus eius cognitionis, & omnium reflexarum supra illam in specie & individuo, estque vnum prædicatum latens illos necessariò, nempe potens omnium horum actuum, & totius collectionis collectim acceptæ: item & sciens & amans eos actus, & collectionem. Angelus viribus naturæ non potest cognoscere omnes actus alius angeli, aut animi, quia multi sunt circa illum in specie: at potest cognoscere quemlibet actum in specie, & individuo, ob quod habitualiter comprehendit alium: quæ est comprehensio secundum quid; non actualiter. actu autem supernaturali potest cognoscere omnes actus naturales collectiue; quia ex nullius cognitione illa cognitio se cognoscit. Argumenta oppositæ sententiæ proponuntur & soluentur à §. 81. Hæc obserua in §. 241. vbi de comprehensione Dei.

SVBSECTIO VI.

Quid sentiendum de opposita sententia?

§. 72. Sententiæ, posse cognosci omnia possibilia in Deo, proieci aliqui Theologi inurere voluerunt notam erroris; sed immeritò. Primùm Magist. in 3. dist. 14. §. *Quibus respondentes*; id testatur apertè. Alensis 3. p. qu. 13. memb. 7. Albertus Mag. in 3. dist. 14. art. 1. cap. 3. Gregor. in 1. d. 44. qu. 2. art. 2. ad 9. loquens de eadem numero visione, & alij, quos P. Monzeus adducit disp. 2. c. 2. quam ipse censet esse probabilem. Durandus §. 16. id dixit de omnibus possibilibus. Ex recentibus eam sequuntur viri planè docti: P. Franc. Alberti-

nus tom. 1. qu. 4. Theolog. ex 1. principio Theolog. s. Thom. n. 12. 20. & alibi: P. Valentinus Herize meus com- q. 10. milito disp. 51. cap. 4. nu. 21. num. autem 22. & 23. proponit arque refellit rationem P. Petri Arrubal de indeterminato gradu perfectionis à creaturis possibilibus: etenim obiectum formale est determinatum, à quo visio accipit determinatam speciem. P. Gregor. de Valentia 1. p. qu. 11. punct. 6. §. *Quoad secundam*; & alij plerique eam sententiam censent esse probabilem: & explicant, cur sit damnata Barcinone à Quæstoribus contra Arnaldum, non tam ob sententiam, quàm ob fundamentum: quia in Directorio 1. p. q. 11. refertur hic error secundus inter alios, ijs verbis: *Quòd quàm citò anima Christi suit vnita diuinitati, statim ipsa animam sciuit, quæ deitas scit: quia aliàs, vt dicebat, non fuisset cum ea vna persona: præcipue quia scire est circumstantia pertinens ad suppositum indiuiduale, non ad naturam.* Hæc autem fundamenta sunt absurdissima: illa ergo fuere damnata, non verò propositio tam multorum Theologorum. Hugo Victorinus & alij eam scientiam adscribunt Christo, Deum non comprehendi per illam, satis probabiliter explanant. Quid ergo interest contra illam esse scholam Thomisticam? ex qua multi eam censent probabilem.

S E C T I O I V.

Virum possint distinctis actibus in Deo videri omnia possibilia?

§. 73. **O**stendi §. 71. non posse vno actu cognosci omnia possibilia collectim: quia ille actus se ipsum clarè cognosceret. Nunc idem affirmo de actibus diuersis: nam si pluribus actibus videretur simul tota collectio creaturarum, singuli se cognoscerent: hoc autem ostendi esse non posse: ergo. Probo Minorem: quia actus, qui conferret omnia inter se, cognosceret quidem se, quantumque excederet & excederetur; qui autem alium compararet, aut cognosceret se, aut non cognosceret; si non cognosceret, non conferret omnia: at cognoscere non potest: ergo. Licet ergo vnus cognoscat infinita, & alius alia infinita, non possunt per illos duos actus comparari omnia, sed opus est vno ea comparante.

SVBSECTIO I.

Pars affirmans.

§. 74. **E**xistimo posse videri à beato in Deo vt in obiecto omnia possibilia singillatim pluribus actibus. In eam conclusionem conspirant auctores adducti §. 72. Nec dissentiant alij, qui id negant de vno actu, non de pluribus. quorum rationes non sunt ad hunc scopum: quia nec Deus comprehenditur hoc pacto, nec actus adæquatur omnibus obiectis, nec est opus vt vnus repræsentet infinita: ergo non sunt contra.

§. 75. Probatur. Nullum est ens reale, quod non possit in Deo cognosci: ergo possunt omnia singillatim. Antecedens est certum: quia omne ens reale continetur in Dei omnipotentia, & in idea: quæ cognita potest ducere in termini cognitionem.

Con.

S. Thom.
q. 10.

Consequentiam probo: quia non repugnat infirmitudo actuum reflexorum; quibus iam cognoscitur omnia obiecta in singulari. Ne hæc cognitionum multitudo erit comprehensio Dei: quia comprehensio est vnus actus attingens simul Deum, & omnes creaturas. vel sunt duo, alter in Deum, ex quo oritur: alter in omnia creabilia: quia prior exprimit omnes conceptus Dei, etiam vt relatos ad creaturam: ex quo deriuatur omnium creaturarum cognitio: sed nullus actus ita repræsentat Deum: ac propterea nulla est ibi comprehensio, nec cognoscitur Deus vt potens omnium simul, & vt omnia conferens & dirigens. De quo à §. 241.

SECTIO V.

Quid de futurorum cognitione in Deo?

§. 76. **C**ognitio futurorum est difficilior explicari, quo pacto cognoscantur in Verbo. Breuiter dico, in essentia diuina vt in obiecto cognito, non posse cognosci aut creaturam vllam existentem, aut decretum liberum Dei, aut scientiam visionis. Ratio est, quia obiectum formale & primarium ducit in materiale & secundarium, propter connexionem cum illo: est enim obiectum formale, quod prius cognitum ducit necessariò in materiale: sed essentia Dei secundùm se nullam habet connexionem cum creatura vt existente, nec cum scientia, aut actu libero: ergo non potest esse obiectum formale ducens in creaturas: supposito autem quòd existant, est contingens, quæ potuit non esse, vt ergo anima prius cognita non potest esse principium ducens in suos actus liberos: ita nec essentia diuina in suos. Nec opus est hoc ad comprehensionem, nec super comprehensionem.

§. 77. Deus cognoscens seipsum, cognoscit suos actus liberos, non in sua essentia vt in obiecto cognito; sed immediatè in ipsis actibus: vt autem creaturas, quæ contingunt dependenter à libertate creata, cognoscat in ipsis, an in decretis circa illas; non est huius instituti.

§. 78. Beatus non videt actus liberos, nec scientiam Dei in essentia vt prius cognita: sed vno actu intruetur essentiam Dei vt est ens necessariò existens, & liberis actuum diuinorum denominationes; ac si essent duo obiecta realiter distincta cognita comitantè. non aliter ac si animam, & eius actus liberos cognosceremus vnico actu. Actus ille est beatus creaturam: quia terminatur ad essentiam Dei; non verò formaliter vt terminatur ad actum formaliter, vt denominatur liber: cum enim vt liber nihil addat perfectionis supra essentiam, non est obiectum beatus sub eo respectu; sed sub conceptu necessario existentis. Quia verò ille actus est Dei in se, non solum vt est Deus, sed vt sciens futura; in illa scientia vt in obiecto formali primò cognoscuntur creaturæ vt existentes; ob quod dicuntur in Verbo cognosci.

SECTIO VI.

Verum in Deo possint vno actu videri omnia creata vt existentia aliquando?

SUBSECTIO I.

Quid absolute de questione?

§. 79. **S**atis constat ex §. 65. ad 71. non posse aliquid quem à seipso cognosci, nec in indiuiduo, nec in specie, nec posse esse cognitionem claram infinitorum actuum reflexorum iuxta seipsum. Vnde liquidò constat, visionem beatam vt existentem non cognosci à se ipsa; nec item infinitos actus reflexos intellectus & volutatis circa illam. Hanc autem questionem moui ad examinandas aliquorum rationes, quibus probant, eam à se ipsa cognosci, aut non cognosci.

SUBSECTIO II.

Quibus sentiatur pars affirmans?

§. 80. **V**isionem beatam esse reflexam supra se ipsam, & à se ipsa cognosci, docet magni Theologi: ex recentibus P. Valquez in 1. 2. disp. 15. n. 20. asserens se non videre, cur id repugnet: P. Suarez 1. p. lib. 2. de visione c. 18. n. 9. in eam partem se vt probabiliorē inclinari: P. Salas in 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 3. sect. 4. nu. 24. Aegidius de Præsentatione to. 1. de Beatitudine lib. 4. q. 9. a. 6. §. 2. n. 8. & alij; afferunt Bonauenturam in 3. dist. 14. a. 1. q. 13. ad vltimum, nihil eis fauentem.

§. 81. Probant Primò: quia lux est ratio vt se ipsa videatur, & alia propter ipsam: ergo visio videt se, & alia. Nego consequentiam: arguitur enim ab obiecto formali ducente in obiectum materiale, ad rationem formalem videndi: vt ergo visio lucis non se videt, ita nec visio Dei. Visio potest alio actu reflexo videri, vt lux oculis: sic autem visio ducet in cognitionem aliarum rerum. Quòd si hoc argumentum aliquid probaret, illud maximè, quòd visio non posset se ipsam non videre. quod tamen P. Suarez affirmat, negat P. Salas, cum alijs: at illa necessitas esset absurda: quia omnis visio esset natura sua inamissibilis etiam diuinitus. item si præstetur in exemplo lucis; obiectum formale visionis non esset Deus, vt color lucis non est obiectum formale; hoc autem esset ipsa visio, vt est lux comparata visui.

§. 82. Secundò probant: Visio est participatio diuinæ visionis in supremo ordine & gradu participabili: sed visio diuina cognoscit se ipsam: ergo & nostra beata. Confirmatur Primò: quia ob eam participationem visio sibi vendicat, vt cum summa simplicitate sit eminenter complexa, iudicativa, & distinctiva: cur non erit reflexa? Confirmatur Secundò, ex B. Thoma 1. p. q. 87. art. 3. vbi in angeli cognitione de seipso hanc reflexionem admittit. Confirmatur Tertio, ex multorum Philosophorum opinione, asserentium sensus externos hac reflexione gaudere: experiuntur enim se sentire. His Aegidius verissimam censet hanc opinionem.

§. 83. Ad argumentum, respondeo illud constare quatuor terminis; concessa enim vtrâque præmissâ, nego consequentiam: quia illa perfectio non est communicabilis creature, vt nec perfectio cognoscendi actu substantiali. quia ille gradus solum conuenit cognitioni improductæ ab obiecto: cum ergo omnis cognitio creata sit realiter producibilis ab obiecto, & nihil possit seipsum producere, non potest visio esse reflexa supra se. Visio Dei est: quia est improducta: ob quod nec ab obiecto, nec ab alio præducitur. Recognosce à §. 65. Ad Primam confirmationem, illæ perfectiones non sunt alienæ à cognitione creata: ex quibus non sequitur aut eam esse improductam ab obiecto, aut præduci à se ipsa. Ad Secundam confirmationem, constat ex §. 66. B. Thomam à nobis potius esse; non in propositione vniuersali nullam cognitionem creatam esse reflexam; sed in hac singulari de visione: quia non est perfectio sui obiecti. Ad Tertiam confirmationem, certum est apud omnes nos non videre nostras visiones: illud autem experimentum in brutis non est formale, sed virtuale: voluptantur enim, ac si reflexè cognoscerent suas sensiones: in nobis autem est formale: quia ex sensione traijciuntur in intellectum species, quibus illos actus cognoscimus: in quo sensu etiam visio est reflexa, quia emittit speciem, per quam alio actu reflexo cognoscitur.

§. 84. Arguunt Tertiò: Visio Dei est adæquata ratio beatitudinis: sed id non esset, nisi esset cognitio reflexa sui: ergo, &c. Minor probatur: quia de ratione beatitudinis est cognitio de eadem beatitate, item est securitas de eius duratione æternum: ergo nisi hæc securitas sit ipsa visio; iam hæc non est tota beatitas.

§. 85. Respondeo hoc argumento probari, præter Deum esse aliud obiectum beans: hoc autem est absurdum: vt pono ex ipsis auctoribus ex disputationibus de beatitudine: ergo. Probo Maiorem: quia per te solus Deus non est obiectum beans: quia visio ipsius, & eius æternitas sunt obiectum beans: quæ distinguuntur à Deo. Maior autem propositio est falsa: ostendi enim beatitatem essentialiter consistere in alijs simul cum visione Dei. inter hæc connumera illam securitatem reflexam: si enim visio & eius duratio sunt obiectum beans, non est absurdum essentiam beatitudinis includere illam cognitionem, siue reflexa sit, siue directa.

§. 86. Do autem antecedenti, solam visionem ex parte intellectus, vt terminatur ad Deum, esse adæquatè & essentialiter beatitudinem: quia illa sola est immediata vniò intellectus cum vltimo fine: nego Minorem. Ad probationem, respondeo de conceptu beatitudinis essentialiter nec esse æternitatem, nec cognitionem reflexam; sed solam immediatam vniõnem intellectus cum vltimo fine: ob quod vno momento possumus esse essentialiter beati. & quamuis æternitas sit de conceptu essentiali beatitudinis: at non eius cognitio: beatitas autem præter conceptum essentialem habet alios, quasi integrantes, qualis est carentia doloris, & alia. inter hos complentes recenseo cognitionem illam reflexam. si autem præter visionem Dei exigitur securitas; satis erit visio cum carentia timoris illam amittendi: reliqua non sunt de conceptu essentiali beatitudinis.

SUBSECTIO III.

S. Thom.
q. 10.

Quibus probetur visionem non posse esse de se ipsa?

§. 87. **I**Nter opinantes visionem posse esse reflexam de se ipsa; censent visionem duratam æternum; non posse esse cognitionem de sua æternitate, imò nec de duratione vltra primum instans. Primum, quia esset abeundum sine fine in cognitionibus reflexis: quia visio vt obiectum distingueretur à se ipsa vt visione reflexa sui: & hæc prima reflexio distingueretur à secunda, & secunda à tertia: sicque de alijs. Respondeo, id non fore absurdum: quia à parte rei non est illa infinitudo: quia non est nisi vna realiter cognitio; esset tamen infinitudo ratione nostra: neque distingueremus actibus infinitis; semper enim listeremus in vno. in quo nullum est incommodum. Neque opus est illa reflexione infinita: quia vt potest non distinguui realiter obiectum à cognitione sui, ita potest nec ratione ratiocinata, sed ratiocinantis dumtaxat. Nec item reflectimus infinite distinguendo ratione, vt non reflectimus realiter: semper enim sistimus gradum in vno.

§. 88. Secundò mouentur, quia, si visio intueretur suam durationem, esset tam necessariò existens, vt Deus ex suppositione quòd semel eam produxisset, non posset eam destruerè. Hoc autem censent absurdum: quia etiam ex suppositione primæ productionis Deus potest liberè destrucere quamlibet creaturam, alioquin destructio non esset in potestate Dei. item idem potest dici de vniõne hypostatica, & alijs, quæ ex suppositione primæ productionis non posset destrui: quia supponeret decretum de ea non destruenda. Maior probatur: quia ea visio esset necessariò vera, quia est supernaturalis. item supponit per se, & essentialiter decretum Dei de conseruatione æterna visionis: at factâ eâ suppositione decreti nõ posset destrui: ergo non posse destrui, esset essentialiter illi visioni.

§. 89. Respondeo eam rationem non esse tam efficacem: Primum, quia de vniõne hypostatica non est eadem ratio: vniõ enim non supponit per se nisi decretum liberum Dei de ea producenda: decretum autem de ea conseruanda æternum supponit per accidens. At verò visio de æterna duratione supponit per se decretum de duratione eadem: quia omnis effectus supponit per se causam per se: cum ergo duratio per se dependeat à decreto de ea; visio de duratione supponit decretum idem: quia visio supponit durationem exstituram tota æternitate: quia omnis actus intuitiuus supponit existentiam sui obiecti: æternitas autem visionis supponit decretum de se ipsa: ergo visio æternitatis supponit per se tale decretum: ergo licet visio illud supponat, non tamen propterea illud supponet vniõ hypostatica.

§. 90. Secundò, quia rectè posset visio representare suam durationem per annum; in quo hi auctores non probant absurdum: ergo Deus per annum non posset destrucere visionem: in quo non inuenio minus incommodum, quam in tota æternitate. Tertiò, quia Deus potuit decernere se nunquam destruciturum vllum actum intellectus in patria semel existentem: hoc autem decretum potuit cognosci aut immediatè visione, aut scientia infu-

S. Thom.
9. 10.

infusa in reuelatione clara, siue in prophetia perfecta. Hæc autem cognitio non posset destrui per se & essentialiter: quia essentialiter supponit decretum de ipsa non destruenda: multi item actus relexi possunt esse de hac cognitione. Negare autem posse hoc decretum vt existens cognosci, est difficile: quia posset Deus decernere non adstruere vllum actum verum: id autem cur non posset reuelare? cognitio eius obiecti esset vera, supponens essentialiter tale decretum. Video à me negatum agente de voluntate Dei, posse cognosci à creatura vt existens decretum de nullo actu voluntatis producendo: est autem clarum, non posse cognosci vt existens decretum de nulla cognitione producenda: ipsi viderint, vtrum sit eadem ratio in ijs actibus.

§. 91. Tandem disp. 16. Phisic. §. 13. insinuaui posse excogitari durationem per se æternam. Ratio à priori huius dubij est: quia Deus liberè potest producere, & non producere has creaturas: quarum repugnantia vt destruat, oritur ex libera voluntate Dei de illis non destruendis. Quæ propterea non sunt ens à se; sed ab alio; liberè illis conseruante esse libertate decreti de prima productione; quamuis non libertate noua. Nihilominus existimo nullum actum creatum ita existerè necessariò, vt nõ possit diuinitus destrui. Quod de omni creatura P. Vasquez tom. 2. in 1. p. disp. 182. nu. 7. tam certum existimat, vt oppositum nolet errore: P. autem Suarez lib. 1. de Angelis c. 9. n. 5. hanc partem censet esse de fide. Quod autem de duratione dixi disp. 16. Phisic. n. 13. non dixi nisi excogitari posse in opposita sententia ei quam ibi defendi: ego enim ibidem ostendi, posse creaturam esse ab æterno independentem ab eo modo, qui tamen non videntur comprehendi ea censura: quia auctores loquuntur de creaturis absolutis, non de modalibus; ob quod nulla creatura est essentialiter æterna: quia ille modus nulli est connaturalis: si autem Deus velit eam perpetuò conseruare, non est illi negandus aliquis modus, quo id possit. In sententia autem, quam impugnaui, ille potest excogitari. Et quia non est multum consentaneus principijs certis, negandus est simul cum sententia ibi impugnata: nec admittendus aliquis actus supernaturalis falsus de potètia absoluta, vt ostendi vol. 2. disp. 18. & 19. Ob hæc non ineffaciter probatur nullam cognitionem posse esse de se ipsa: ne demus aliquam, quæ representet suam æternam durationem, quæ nec de potentia absoluta possit esse falsa, nec destrui.

SECTIO VII.

Quid videat in Verbo anima Christi?

SUBSECTIO I.

Videt omnia futura.

§. 92. **D**ico Primò. Anima Christi videt in Verbo visione beata omnes creaturas vlllo tempore existentes. Hæc cõclusio est S. Thomæ 3. p. q. 10. a. 2. Magistri, & aliorum, quos adduxi §. 72. estque doctrina fide Catholica certa, quod attinet ad scientiam omnium: quamuis aliter cenfeo de

modo illa videndi in Deo vt in obiecto formali, an in ipsis. Hæc dico esse certa confessione totius Ecclesiæ. Recognosce P. Suarez disp. 26. sect. 4. vers. *Dico primò*, & P. Vasquez disp. 51. c. 2. Scotus in 3. d. 14. q. 2. asserit ea cognosci habitualiter, non actualiter: quod latè probare nititur Faber ibidè disp. 35. c. 5. qui tamen mihi maximè displicent: quia nec argumenta sunt vllius ponderis: & Christo vera ignorantia appingitur, quam cursu temporis deponit. Ratio S. Thomæ est: quia omnes Beati in Deo vident quidquid spectat ad illorum statum: sed ad Christum spectant omnia existentia: quia est illorum dominus, & creata sunt in eius honorem: peccatorum autem est iudex. De quo fundamento recognosce P. Suarez nunc adductam, & P. Vasquez disp. 51. c. 3. de quo agendù §. 115. ergo, Ratio à priori est vnio hypostatica cui debentur thesauri scientiæ Dei: nec dicunt Christum esse ignorantem alicuius existentis. Hæc autem cognitio terminatur ad scientiam visionis Dei, vt ad obiectum formale primarium; ad creaturas autem existentes, vt ad materiale & secundarium. Vtrum autem in decretis Dei creaturæ liberæ cognosci possint, non est hinc.

§. 93. Hic occurrunt duo testimonia explicanda: alterum ex Luca asserente Christum creuisse ætate, gratia, & sapientia apud Deum & homines. quod explicui disp. 48. §. 50. Alterum est ex Marci 12. 32. *De die autem illa nemo scit, neque angeli in celo, neque Filius, nisi Pater.* S. Thomas art. 2. ad 1. respondet Filium nescire diem non per ignorantiam propriam: sed quia noluit efficere, vt eum scirent discipuli id interrogantes. Multa ex Patribus nostri Patres adducunt. Recognosce P. Vasquez disp. 51. cap. 3.

§. 94. Hunc locum possumus explanare vt S. Ambros. lib. 3. de Fide ad Gratianum cap. 3. explanat, testimonium ex Matth. cap. 20. *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Vbi de potestate referendi gratiam agit, vt nunc de cognitione diei iudicij; quam sibi negat, adscribit Patri. Non quòd ea potestate careret Filius: quod meritò sacrilegum arbitratur Ambrosius; sed quia maluit dissimulare de iure, quam negare absolute discipulis, quod petebant. Ita discipuli rogarunt iudicij diem; noluit Christus videri eius reuelationem negare quasi iure suo, sed prærogatiua Patris. Nec verò id contigit in Christo vt homine: nam & de ipso Patre dixit, *Christus: Pater non iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit Filio:* an Pater non iudicat, nec retinuit iudiciam potestatem? & quidem iudicat, nec Filius potest nisi cum Patre iudicare. Significatur ergo prærogatiua Christi vt hominis, cui communem fecit Pater potestatem. Ita hinc significatur prærogatiua Patris, qui solus dicitur scire eum diem: quia penes ipsum est potestas illam cognitionem communicandi alijs etiam communicandam: & quia hoc Pater noluit, perinde fuit ad hunc scopum, ac si eam scientiam apud se solum retinuisset.

§. 95. Verba Ambrosij: *Quam patiens, & clemens Deus! quam alta sapientia, & bona charitas! Volens enim ostendere, quòd non persunctoriam rem aliquam discipuli postulassent; sed eam, quam impetrare non possent; prærogatiua eius paternæ honorificentia referuauit; non metuens ne quid iuri proprio derogaret, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: simul diligens discipulos;*
quia

quia (sicut habes) usque in finem dilexit eos. Noluit ijs, quos diligeret, videri, quod peterent, denegasse sanctus & bonus Dominus: qui mallet aliquid dissimulare de iure, quam de charitate deponere. & infra: Quod si putant dicendo, Quibus paratum est à Patre meo, quod aut Patri plus tribuit, aut sibi aliquid derogavit; dicant, vtrum & illic putent Patri aliquid derogatum, quia dixit in Evangelio Filius de Patre: Pater non iudicat quemquam? quod si sacrilegium putamus, dicere, quod Pater ita iudicium detulit Filio, ut ipse non habeat (habet enim, nec potest amittere quod habet naturaliter divina maiestas); sacrilegium vtrique estimare debemus, quod non potest Filius dare, quidquid aut homines mereri possant, aut quavis accipere creatura. Hæc Ambrosius: quibus mirè exponitur causa cur Christus noluerit negare discipulis quasi de suo scientiam illius dici, eam sibi negare visus. Ob quod etiam hac in parte dixit, non esse illorum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Hæc breuiter accipe explicanda fusiùs disp. 55. à §. 47. ad 52. nec enim omnia sunt repetenda, nec reicienda omnia.

§. 96. Obicit: Ergo ex hoc testimonio non colligitur angelos verè ignorare diem illum; sed tantum ab eis illum nesciri exponendum alijs: hoc autem est absurdum: ergo. Respondeo, à nonnullis censeri probabile hunc diem sciri ab angelis. Quidquid autem sit de angelis, & eorum regina, licet ex solis verbis Christi non colligatur aperte ignoratio eius diei, posset colligi ex Patrum interpretatione: in angelis non est absurda ea ignoratio; in Maria non est decens: quæ excipitur ab his regulis generalibus. Aliqui censent non posse cognosci omnia futura: quia possent cognosci omnia possibilis in decreto, quo decerneret illa non producere. quod quidem est sine vi: quia si Deus habet puram omissionem de cæteris in illa non possunt cognosci; si autem habet actum positivum, quamvis ille est nolitio expressa cæterarum creaturarum in singulari; non tamen reuelatur nisi sub ratione nolendi aliud producere: id autem quid qualecùq; sit, non est opus vt cognoscatur. ergo non sequitur consequentia.

SVBSECTIO II.

Hæc futura sunt simpliciter infinitæ multitudinis.

§. 97. **O**biecta, quæ cognitione intuitiva Christus cognoscit in Verbo, non esse infinita, Primùm colligi videtur ex Scoto in 3. dist. 14. qu. 2. & Philippo Fabro disp. 35. c. 5. Quia non est verosimile ab ijs auctoribus admitti in Christo ignorantiam alicuius rei futuræ; sed, si obiecta essent infinita, infinita ignoraret Christus: ergo non sunt infinita. De propositione maiori constat ex §. 92. Minor est apud Scotum certa: Primùm ex calculatione (quam impugnavi §. 53.) Secundò, quia non potest esse attentio infinita. Tertio, quia non posset cognosci infinitudo sine augmento infinito.

§. 98. Secunda probatio mihi videtur inefficax: Primùm, quia oculi tam facile attendunt multis obiectis propositis, ac vni: nec enim cognitio per se fatigat: si ergo mihi proponantur centum homines, tam facile eos video, quam v-

Per Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

num. Interdum obiecta multitudine obruantur: sicut quia non emittunt species lineis planè rectis, nec expeditis: at si species benè traiciatur, tam bene ego video meos quinque digitos, calamum, atramentum atque papyrum, quam solam papyrum. Secundò, quia cognitio eodem omnino gradu quæ fertur in omnia obiecta: ergo non exigit maiorem attentionem ad plura, quam ad vnum. Probo consequentiam: quia eadem indivisibilis ratio fertur ad omnia: at illa ratio non exigit plus virium ex parte potentia, quam si versaretur circa vnum. Tandem, licet viribus naturæ non possemus multis attendere, possemus viribus supernaturalibus, maxime in vno obiecto formali.

§. 99. Confirmatur. Quia nec viribus naturæ possumus simul attendere prædicatis diuinis intuitivè, nec infinitæ eius perfectioni; possemus autem lumine gloriæ, quin attentio illa sit infinita; quamvis obiectum est infinitum per essentiam. Tertia autem probatio ex §. 97. non vrget: tum quia Scotus eadem disp. 14. indicat esse in Christo summam cognitionem; quæ est infinita: tum quia vno indivisibili gradu, possunt plura cognosci: ergo & infinita. Ob hæc §. 51. hanc difficultatem huc examinandam reieci, vt faciliùs appareat, quid sequatur ex sententia Scoti. Bonau. in 3. dist. 14. a. 2. q. 2. non admittit in Christo ignorantiam futurorum; sed ait non esse necessariam actualem omnium considerationem. quod quidem longè diuersum est: etenim rogatus Christus de quouis futuro, poterit respondere, licet immediatè antè nihil de illo cogitauerit: ignoratio autem est quando rogati de aliquo non possumus respondere. in quo sensu agit etiam de possibilibus. A quo existimo non esse alienum Scotum, negantem Christo actualem considerationem omnium, & asserentem habitualement: quamvis habitus accipitur à Bonauent. pro lumine habituali; ab Scoto pro actu potente elicere alium circa creaturas. qu. autem 3. censet Bonauent. absurdum Christum aliquid latere futurum: non ergo ignorantiam admittit.

§. 100. Secundò difficiliùs arguitur: Futura non sunt infinita in substantijs, vt omnes fatentur; nec in accidentibus cogitationum, & affectuum: ergo Christus non agnouit infinita. Probo antecedens: tum ex communi sensu de repugnantia infiniti in actu: tum quia illa omnia sunt futura successivè vnum post aliud: sed futura esse non possunt infinita successivè: ergo non sunt futura infinita. Maior est certa: quia angeli, & anima rationalis durabunt æternùm, diuersisque temporibus realibus aut imaginarijs habent cogitationes. Minor probatur: quia infinitum est quod successivè transiri non potest: sed omnia futura transiri poterunt: ergo non sunt infinita. Minor probatur: quia omnia futura ita erunt, vt nullum remaneat intra solam causam, sed in se existat: ergo omnia existent successivè: ergo omnia transibunt successivè.

§. 101. Confirmatur. omnia futura videntur intuitivè à Deo; rogo vtrum extra illa sit futurum aliud? an verò non? Si primum: ergo iam non videntur à Deo omnia: si verò secundum: ergo iam omnia sunt existentia, & successivè: ergo pertransita sunt omnia: ob quod ab æterno non potuit esse ens successivum: quia fuissent successivè pertransita infinita.

§. 102. E contra verò eos effectus esse infinitos

H h pro-

s. Thom.
q. 10.

probatum apertè: quia vel sunt infiniti, vel finiti: si infiniti, obtinemus scopum: si finiti, ergo videt Deus eorum ultimum, ultra quem non erit alius: & finientur actus in æternitate. Nec reddi poterit ratio, cur non sit futurus alius: ergo erunt sine fine, & eos sine fine futuros videt Deus: Deus ergo videt infinitos.

§. 103. Dices, illos esse infinitos syncategorematicè, non tamen absolute & categorematicè. Contrà: Syncategorematicè infinitum est in actu finitum simpliciter, & secundum ea, quæ possunt addi, est infinitum; quod vocatur infinitum in potentia: sed in tota æternitate non videntur futura finita, sed infinita, quæ ut existentia sunt infinita. Considera futura existentia ut sunt obiectum scientiæ visionis; non verò ut obiectum simplicis intelligentiæ: non solum futura sunt infinita, ut sunt obiectum simplicis intelligentiæ (ut sic enim nec sunt futura, & sunt omnia possibilia:) sed sunt infinita, ut sunt scientiæ visionis obiectum: quia si ut sic sunt finita, finientur tandem, licet in esse possibilia sint infinita; sed ut sunt obiectum huius scientiæ, non sunt in causa, sed sunt extra causam: ergo non habent infinitatem syncategorematicam, & in potentia; sed categorematicam & in actu. Fateor in quouis tempore esse finita; & infinita pro tota æternitate. At non agitur nunc de futuris pro quouis tempore, sed pro tota æternitate. Quæ argumentatio est evidens.

§. 104. Ad argumentum ex §. 100. admitto substantias esse finitas: ob quod S. Thomas dixit à Christo non cognosci infinita hac scientia art. 3. qu. 10. at accidentia sunt infinita, quæ omnia novit Christus, ut constat art. 2. Quare Caietanus S. Thomam componit. Ad probationem antecedentis, respondeo à me disp. 13. Physic. probatum non repugnare infinitum in actu: quia iam videtur à Deo existens in æternitate. Ad Secundum, concessa Maiori, distingo Minorem: non possunt infinita esse successivè tempore finito, concedo Minorem; tempore infinito, nego Minorem. Distinguo item consequens: non sunt infinita pro tempore finito, concedo consequentiam; pro tota æternitate, nego. Ad probationem Minoris, concedo Maiorem, & nego Minorem: pertransire enim est venire ad vnum, ultra quod non supersit aliud: at in futuris in æternitate non ita contingit: quia post quodlibet in singulari supersunt infinita pertransienda. Ad probationem Minoris, distingo antecedens: nullum remanebit intra causam pro quouis tempore determinato, nego antecedens; pro tota æternitate, concedo. Distinguo item consequens: ergo omnia existent & successivè in tota æternitate, concedo consequentiam; existent omnia in aliquo tempore determinato, nego consequentiam; item & ultimam: quia omnia existent, quin transeantur omnia.

§. 105. Ad confirmationem ex §. 102. respondeo omnia futura videri intuitivè à Deo, ita ut in tota æternitate nullum aliud sit futurum: at pro quouis tempore determinato non videntur omnia: quia ultra illud erunt infinita alia; tunc concedo omnia in æternitate futura, & successivè; nego tamen omnia videri pertransita: quia post quodlibet supersunt infinita. Quod obijcitur de repugnantia entis successivi ab æterno, est valde abimile. illud repugnat: quia numquam esset ventum ad hunc

diem, nec potuisset venire: quia iam fuissent infinita pertransita successivè, & posset non superesse aliud transeundum: quod est contra rationem infiniti. igitur iam esset certa dies ultima, ultra quam non esset alia, ad quam ventum esset successivè per dies infinitas. quod apertè repugnat: idem que repugnat in æternitate futura: numquam enim venierur ad vnam diem ultimam: ob quod non repugnat hoc genus infiniti, quia numquam pertransibitur.

SUBSECTIO III.

Quot cognitionibus Christus in futura feratur?

§. 106. S. Thomas hanc difficultatem non insuat: Scotus censet esse ut ex cognitione Verbi deriverent infinitæ aliæ circa futura; quæ asseruit habitualiter cognosci: quia ex cognitione Verbi derivari potest cognitio circa quodlibet futurum: circa omnia autem sunt necessariæ infinitæ cognitiones: nulla enim potest esse attentio ad infinita. Bonau. idem asserit: eum enim in Christo non admittat actualem considerationem circa omnia; sed tantum habitum eum voluntate Dei prompta ad singula manifestanda; non potest Christus actu omnia considerare simul: sunt ergo necessarij infiniti ad omnia consideranda actu. Item, qui fatentur non posse visionem representare suam durationem æternam, dicent ad illam esse opus actu reflexo distincto realiter: hic non potest æternitatem suam cognoscere: est ergo opus alio: ergo actus æterni non possunt omnes cognosci nisi actibus infinitis. Multi item ex Thomistis fatentur non posse vno actu representari species infinitas obiectorum. Pauci autem sunt, qui opinentur omnia futura cognosci vno actu.

§. 107. Ego existimo cum auctoribus primis, Christum nisi infinitis actibus non posse cognoscere omnia in æternitate existentia. Quia visio non potest se cognoscere, nec multas alias reflexas de illa, nec multos actus amoris de ipsa, nec multas cognitiones de ijs affectibus, nec multos alios affectus de ijs cognitionibus: ergo opus est alia cognitione reflexa de illa visione, & omnibus actibus ad illam terminatis. Rursus hæc cognitio reflexa nec cognoscitur per illam directam: quia cognosceret se ipsam; nec item cognoscitur se ipsa; nec item cognoscit infinitos actus circa illam: ergo opus est alia cognitione reflexa, de qua sine fine est eadem ratio. Quæ sententia planè colligitur ex P. Monzeo sapius adducto, & ex disp. 2. c. 12.

§. 108. Dices posse omnia cognosci duobus actibus A & B. ex gr. actus A cognoscit actum B, item B cognoscit actum A. quod non repugnat. Contrà: Si B est reflexus de A: ergo hic cognoscens actum B, non potest cognosci clarè nisi connotando actum A ut obiectum: alioquin iam lateret secundum eum conceptum. quæstio autem est de cognitione clara omnium; confusè enim cognosci potest actus à seipso, sub aliqua ratione communi. Hæc de necessitate ad omnia cognoscenda.

§. 109. Vtrum autem de facto sint in Christo infinitæ istæ cognitiones, non est tam facile definiendum. Posset aliquis dicere, à Christo cognosci directè

directè scientiam Dei, & omnia obiecta creata sine vlla reflexione in illam; ita vt actus ille representet infinita cognita in scientia libera Dei. item esse in cæteris Beatis infinitas cognitiones terminatas ad scientiam illam Christi: item infinitos affectus circa illam. quæ omnia cognoscantur à Christo alia scientia beata reflexa supra priorem, & supra omnes actus de illa: quæ visio reflexa à nullo alio beato videtur de facto, quæque non est principium actuum, quibus Christus nobis meruit bona opera: etenim illa cognitio, quæ est principium nostrorum operum, ea non cognoscit: quia, vt ostendi §. 70. omne obiectum est natura prius cognitione: at nostra opera non sunt priora, sed posteriora meritis Christi, & cognitione illis præeunte: ergo hæc cognitio representans omnia nostra merita non representat eadem merita vt existentia. Siftendum ergo est in aliqua vna cognitione Christi ignota cæteris Beatis. E quibus concludes, à Christo videri omnia futura, excepto vno suo actu, quod necessarium est ad vitandum processum infinitum cognitionum simul existentium: quem impossibilem censent.

§. 110. Hæc sententia non est absurda; tum quia multi graues auctores censent numquam actu considerari à Christo omnia futura, sed habitu; vt S. Bonau. Ricard. Scot. Faber, & alij, qui aiunt infinita esse, quæ non considerantur actu. Hæc autem opinio vnum tantum constituit non consideratum: tum quia illa non est ignorantia: hæc enim caret principio sufficienti ad cognitionem actualem. Tandem, quia Christus potest, si velit, reflexè eum actum cognoscere, eumque necessariò statuum in vno incognito.

§. 111. Existimo autem Christum exerceri nunc actibus infinitis. Quia probaui disp. 13. Physic. non repugnare infinitum in actu: item ostendi supra disp. 48. gratiam, visionem, charitatemque Christi esse infinite intensas: ergo in Christo est admittenda ista perfectio cognitionum. P. Suarez disp. 37. sect. 3. asserit à Christo videri omnia possibilis, si videri possunt: ergo & omnia futura infinitis cognitionibus, si aliter videri non possunt, etsi ita possunt. in quibus cognitionibus hic ordo seruat: aliæ sunt principium aliquorum futurorum: hæc non cognoscunt suos effectus vt existentes: quia omnis cognitio creata intuitiua est natura posterior suo obiecto: sed hæc non est posterior illis futuris, quia est illorum principium: ergo hi effectus non cognoscuntur intuitiue per eum actum. item omnis cognitio est effectus sui obiecti in creatis: sed cognitio non potest esse effectus suorum effectuum, maximè qui ab illa sunt moraliter: quæ causalitas supponit omnia principia efficientia: ergo, omne ergo futurum videtur à Christo, & beato per scientiam, quæ non sit causa futuri.

§. 112. In quibus cognitionibus nulla in singulari est ignota; ad quamlibet enim terminatur alia reflexa: at tota collectio simul non cognoscitur ob rationes redditas §. 73. & 74. in hoc euentu contingit quod in futuris in æternitate: quia quouis signato est aliud posterius; omnibus autem simul acceptis nihil est posterius: ita quæuis cognitio est cognoscibilis per aliam: omnes autem simul acceptæ non sunt per aliam creatam cognoscibiles. E quibus deducuntur duo, alterum, nihil ignorari à Christo: quia omnes euentus in singulari cognoscuntur.

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

scit: alterum, ab eo nesciri aggregatum ex omnibus futuris, vt constat ex omnibus. Quæ nescientia non est ignorantia: hæc enim est carentia cognitionis in subiecto apto saltem per obedientialem potentiam: hæc autem non est ad cognitionem integræ collectionis: quia nulla cognitio creata potest se ipsam cognoscere: quo esset opus ad eam omnium notitiam.

§. 113. Obijcis Primum, non posse animam simul habere infinitum. Respondeo, id posse esse per potentiam obedientialem; quamuis non per naturalem: infinitum in sola magnitudine repugnare non semel docet P. Albertinus. Quod si semel est possibile, cur negabitur Christo, & in eo admitteatur ignorantia?

§. 114. Obijcis Secundò: Ergo comprehenditur scientia visionis Dei, quod insinuare videtur S. Thomas 1. p. q. 12. art. 8. vbi ait non posse ab intellectu creato cognosci omnia possibilis, vel futura: quia comprehenderetur essentia diuina. Aliqui id non censent absurdum: quia est comprehensio Dei secundum quid. Nego autem consequentiam: quia scientia Dei cognoscit omnia existentia non solum singillatim, sed etiam collectim: hoc autem prædicatum non cognoscitur ab anima Christi: quia non potest cognosci tota collectio creaturarum. ob quod anima Christi non cognoscit omnia, quæ Deus scientia visionis: licet enim cognoscit omnia singillatim, non tamen collectim. Quo sensu explano nonnullos asserentes cognosci ab anima Christi omnia, quæ à Deo scientia visionis; omnia (inquam) singillatim. item alij asserunt pauciora cognosci ab anima Christi quàm à Deo; pauciora (inquam) collectiue; ex parte autem Dei nec omnia prædicata singillatim cognoscuntur à Christo: quia prædicatum illud scientiæ de tota collectione, gaudium item de tota eadem, nec singillatim penetratur à Christo. Ob quod semper est verissimum, quod dixit B. Gregorius lib. 10. Moral. c. 10. *In retributionis autem culmine reperiri Omnipotens per contemplationis speciem potest; sed tamen ad perfectum non potest: quia etsi hunc claritate sua quandoque conspiciamus; non tamen eius essentiam plenè contuemur. Angelica enim vel humana mens cum ad incircumscriptum lumen inhiat, eo ipso se, quod est creatura, coangustat, &c.* Recognoſce totum illud caput, vbi non agit de metaphysica comprehensione Dei, sed de penetratione omnium in ipso: nec de sola scientia possibilium, sed apertius de futurorum: agit enim de scientia, qua iudicat damnatque prauos. colligitur id apertè ex initio cap. 11. Ratio autem Gregoriana est, quia nos sumus creatura, & angustamur, non penetrantes multa eius prædicata, & illorum terminos creatos.

SUBSECTIO IV.

De perfectione scientiæ creatæ, de futuris in Verbo: Vtrum perfectior sit, quæ plura futura cognoscit?

§. 115. S. Thomas q. 10. a. 2. asserit à Christo videri in Verbo omnia existentia in tota æternitate: quia omnes Beati in Deo vident omnia, quæ spectant ad illorum statum: sed omnia sic existentia spectant ad statum Christi: ergo omnia sic existentia cognoscuntur ab anima Christi. Maior

Hh 2 rem

S. Thom.
q. 10.

rem propositionem S. Thomas non probat, sed ponit; Minorem autem probat: quia omnia existentia pertinent ad gloriam Christi, qui est iudex omnium actionum liberarum. Quod confirmare possumus in sententia probabilioris de aduentu Dei in carne, tamen non peccasset Adamus: angeli enim, & cætera creaturæ effecti fuere in laudem Christi, ob cuius merita illi, primi quæ patres donati sunt gratia: ob qua Christus est caput angelorum: ergo cætera creaturarum vniuersitas pertinet ad statum Christi, vt hominis.

§. 116. Maior propositio Thomistica non est facilis probati: quia ad gloriam Beatorum spectant primùm ea, sine quibus beati nequeunt, quæ sunt gloria essentialis obiectiua, & formalis. item quæ spectant ad complementum gloriæ, quæ sunt gloria accidentaria tam formalis, quàm obiectiua: sed visio creaturarum existentium non est gloria obiectiua Beatorum essentialis, sed tantùm accidentaria: nonnulla verò nec pertinent ad hanc, vt peccata suorum, vel quæ committuntur ob illorum occasionem culpam: cuius pœnitentiam egerunt: ergo ex statu Beatorum non satis colligitur visio beata ea obiecta cognosci. Probo consequentiam: quia gloria accidentaria comparari potest per aliam scientiam: multa enim spectant ad integritatem beatitudinis præstita per alia accidentia distincta à visione Dei: nec item ipsa visio scientiæ liberæ, vt addit denominationem liberam supra essentialitatem, est obiectum beans essentialiter: hoc enim est Deus secundum se: nec si esset, opus esset in eo penetrari creaturas: ergo ex hoc capite non satis probatur à S. Thoma maior illa propositio in §. 115. Quin potius sunt contra eam argumenta non leuia.

§. 117. Primùm, quia visioni beatae præscribitur duo obiecta comitantia: licet enim essentia diuina non distinguatur realiter ab actibus liberis: at separabiles ij sunt ab essentia, non quidem in existendo, sed in denominando: ita enim Deus per hanc scientiam intuetur mundum, vt per illam potuerit non videre realiter: quia potuit nec esse, nec videri realiter: ob quod ea libera denominatione comitanter cognoscitur à beato, non verò ex vi essentia visæ. Secundò, minùs beatus videt interdum plures effectus, quàm magis beatus: quia plures spectant ad eius statum: at minùs beatus esse non posset, quia cognosceret meliùs Deum: ex sententia enim B. Thomæ quo plura in causa noscuntur, meliùs cognoscitur causa. Tandem P. Monz. disp. 2. c. 12. efficaciter probat, non posse Christum scientia beata intueri futura: quia obiectum est prius quàm actus: sed actus ille beatus est prior futuris bonis nostris operibus, quæ ab illo pendunt: ergo Christus visione beata ea opera non videt. Minor probatur: quia nostra opera pendunt à visione illa Dei, vt à principio.

§. 118. Thomistæ longam hęc solent texere disputationem: Cabrera autem in art. 2. q. 10. p. 3. eam longissimam instituit, quæ est 3. P. Suarez disp. 26. sect. 4. verò. Breuiter, rectè affirmat non videri à beato plures creaturas, quàm sit necessarium ad eius beatitudinem debitam suis meritis; id quæ ita taxari, vt, si plures videndæ sint creaturæ, id præstetur visione beata causabiliter; formaliter autem alia cognitione. Quæ sententia prudens est; nec est opus vt beati sint, à Beatis cognosci formaliter in

Verbo omnia futura ad illos spectantia: satis enim est in suo genere.

§. 119. Absolutè respondeo à Christo videri formaliter in Verbo omnia futura: item à quolibet beato videri omnia, quæ ad illum spectant, dum ea futura non sint effectus eius visionis, vt dixi §. 111. quia beatus pura creatura non habet duas visiones Dei necessariò: multi enim non habent nisi vnã: incertum autem est quid sit de omnibus: omnes ergo effectus suæ visionis cognoscit in proprio genere alia cognitione, quæ sit effectus, & non causa talis obiecti: quia illa visio est possibilis, qui autem habent plures visiones, vna cognoscunt aliarum effectus. Vt autem re ipsa affirmetur, satis est auctoritas plurium Doctorum, & congruentia ex perfectione beatitudinis. Quo patet ad argumentum ex §. 116. non est necessaria illa perfectio visionis beata ad beatitudinem essentialem; est tamen ad integritatem illius: quæ integritas multum interest: oportet enim Deum in patria reuelari: eius autem actus liberi non possunt videri immediatè nisi simul cum essentia. Nec hoc genus dñorum obiectorum est incommodum: imò est necessariũ. Vnde patet ad §. 117. si quod autem est occultum, vt frequenter censetur de iudicij die, id videbitur postea alia visione in genere proprio. Quæ autem sunt futura, possunt ab initio cognosci: quia cognoscuntur in scientia de illis: nec opus est prioritas temporis inter obiectum, & cognitionem; sed satis est causalitatis.

§. 120. Quod obicitur ex P. Monz. §. 117. explicatum est satis §. 109. & 111. ipse enim censere videtur in Christo non esse nisi vnã visionem Dei, eam quæ principium nostrorum operum supernaturalium: ego autem plures admitto, & aliquam non esse causam eorũ operum: de alijs autem Beatitudinis dixi §. 119. de duobus inæqualibus Beatitudinis est dilutum §. 118. ex P. Suarez, contra quem nihil viget. At nec est ea doctrina necessaria: existimo enim hanc plurium futurorum notitiam non esse argumentum visionis absolute, sed secundum quid melioris. Rationem reddit Cabrera disp. 3. quia plura videntur in Verbo formaliter ex vi luminis secundum se; vel materialiter, ratione subiecti, in quo est lumen. cognitio plurium formaliter spectat ad præmium & beatitudinem; cognitio verò plurium materialiter, non spectat ad præmium. ob quod magis beatus videt plura formaliter; non est autem necessarium, vt videat plura materialiter.

§. 121. Hæc sunt inexplicata: subiectum luminis non est in causa vt hæc aut illa videantur: quia ratio videndi est lumen ipsum; subiectum autem non determinat lumen ad hæc aut illa: sed potius potentia ea videt, ad quæ lumine completur: cum igitur creatura cognoscatur in Verbo ex maiori penetratione ipsius Verbi; omnis, quæ ex vi visionis videtur, videtur formaliter: quia est ab hoc lumine, & hoc modo attingit Verbum. Ratione autem subiecti hæc videntur: quia hoc lumen illas attingens infunditur huic subiecto propter merita, & statum.

§. 122. Ratio huius doctrinæ est: quia futura non videntur in Verbo secundum se, sed in libera denominatione actuum Dei: at maior penetratio huius denominationis non constituit visionem Dei substantialiter, sed accidentalitè magis perfectam:

Am: ergo ex plurium visione non arguitur maior beatitas. Hanc consequentiam probō: quia maior beatitas absolute accipitur pro visione Dei perfectiori substantialiter, non verò accidentariè. Maior est certa: quia futura non possunt videri in Deo secundum se, sed cum aliqua libera connotatione. Minor probatur: quia visio Dei est substantialiter magis perfecta, quo perfectius attingit Deum secundum se; (quod est obiectum beans formaliter ex parte obiecti:) at ex maiori penetratione obiecti ut non beans non accipitur maior absolute perfectio. quod liquidò constat, rum ex ratione ipsius obiecti, tum quia visio ut beans est in genere perfectissimo: sed maior penetratio denominationis liberæ Dei, non est perfectior attingentia secundum se ut beans: quia illa denominatio ut libera non est obiectum essentialiter beans: ergo.

§. 123. Explicatur. pone, Baptistam cognoscere in omnipotentia mille species obiectorum: pone, Ludouicum Gallum non videre in omnipotentia nisi centum species: at Baptista non videt nisi centum species actuum liberorum; Ludouicus autem videt tres mille species futurorum. Probo Baptistam esse essentialiter & absolute beatiorē Ludouico: quia Baptista eas species penetravit in Deo secundum se, siue in eius omnipotentia, ut est obiectum beans & specificans perfectissimam rationem cognitionis creatæ: Ludouicus autem hoc obiectum non ita penetravit: ergo perfectio substantialis actus ut beatifici, maior est in Baptista, quàm in Ludouico: at penetratio trium millium specierum oritur ex alio capite multò inefficaciori, nempe ex libera denominatione Dei ad creaturas, quæ denominatio est contingens in denominando, nec spectat ad conceptum quidditativum, nec attributivum Dei: ergo quantumcumque ex eo capite crescat, non creseit substantialiter, sed accidentariè.

§. 124. Animum adverte, non esse questionem hinc, verum duo actus eiusdem speciei possint esse intrinsecè dissimiles: pone, actus illos esse distinctæ speciei intrinsecæ: adhuc qui videt plures creaturas futuras, non habet speciem meliorem simpliciter, quàm qui pauciores videt in omnipotentia, sed minus bonam essentialiter; accidentariè autem, & secundum quid meliorem. Pone item, eos actus solo numero differre intra eandem speciem, cum discrimine substantiali; adhuc actus de paucioribus creaturis in omnipotentia est substantialiter melior, accidentariè autem minus bonus.

§. 125. Cum autem S. Thomas, alijque circumferunt à melius vidente Deum videri plures creaturas; item à vidente plures, melius videri Deum; censet Scotus non esse uniuersum verum. Ego existimo locutum S. Thomam cum proportionē, & cæteris paribus: etenim qui Deum ut obiectum beans æquè videt; & aliunde alius videt in Verbo plura futura; hic melius videt Deum absolute: quia melius penetrat scientiam liberam: sed illa maior bonitas non constituit discrimen nisi accidentarium inter beatitates.

§. 126. At rectè continget videri Deum melius substantialiter, vel sine vlla creatura, vel cum paucioribus etiam in Deo ut beante, quàm ab alio vidente aut creaturas in omnipotentia, aut plures. Hoc probatur Primùm in sententia Scoti, opinati

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

posse videri Deum ut vnum, quin ut trinus: item in *S. Thomæ* sententia asserente posse videri essentiam, quin at-
tributa. Pone, Antonium videre in omnipotentia creaturas multas in genere, specie, & indiuiduo; at non videre Trinitatem, nec attributa aliqua: item, Petrum videre Trinitatem, & attributa latentia Antonium; at non cognoscere vllam creaturam in indiuiduo, nec in specie, & fortè nec in genere. Petrus melius substantialiter cognoscit Deum, quàm Antonius: ergo ex meliori visione Dei non infertur visio plurium creaturarum. Consequentia non eget probatione. Antecedens probō: Petrus melius penetrat essentiam Dei, quàm Antonius: quia Petrus eam cognoscit, ut est adæquatè in ordine ad se, cuius nullum latet intrinsicum attributum, nec relationes: Antonium hæc latent; solumque penetrat melius omnipotentiam: sed penetratio essentia in ordine ad prædicata illi intrinseca, est substantialiter melior, quàm penetratio omnipotentia: ergo. Minor probatur: quia attributa & relationes meliora sunt, quàm creaturæ, & specificant meliorem cognitionem: item melior est penetratio plurium creaturarum in omnipotentia: sunt que cætera scitu digniora in ordine ad se, quàm vnum in ordine ad creaturas. Quod in hac sententia Scoti existimo efficaciter probari.

§. 127. Agamus in omnium sententijs: pone, ab Antonio cognosci in scientia simplicis intelligentia, aut alio attributo, centum species creaturarum; à Petro autem cognosci quinquaginta: ab Antonio quidem sub ratione vnus attributi dumtaxat; à Petro autem sub ratione plurium, nempe omnipotentia, scientia, amoris necessarii (si est) sub ratione plurium virtutum, quibus creaturæ sunt amabiles à Deo. Sic argumentor: Petrus melius penetrat essentiam Dei in ordine ad quinquaginta species creatas, quàm Antonius in ordine ad centum: ergo ex maiori perfectione visionis non colligitur maior ad creaturas extensio. Probo antecedens: Petrus habet in Deo plures rationes formales obiectiuas, quibus manu ducitur ad quinquaginta creaturas, & cognoscit in Deo plura prædicata in ordine ad illas, quàm Antonius in ordine ad centum: at cognitio plurium prædicatorum Dei melior est, quàm plurium creaturarum, ut probaui §. 126. ergo.

§. 128. Obijcis Primùm, argumentum æquiuocationi nixum: quia qui penetrat in Deo centum species, penetrat etiam plura prædicata: quia omnipotentia Dei plura continet ad centum species, quàm ad quinquaginta. Contrà: Primùm potest contingere, ut sub vno prædicato omnipotentia cognoscantur centum species; quinquaginta autem sub prædicatis quinquaginta: ergo ex maiori pluralitate creaturarum non arguitur maior perfectio visionis. Probo antecedens: quia omnipotentia sub vno prædicato potest respicere vnam substantiam, quæ virtute contineat centum species, vel accidentium, vel aliarum substantiarum, quarum potest esse principium: item sub genere corporis amati potest multas species representare: quinquaginta autem species possunt esse minimè inter se nexæ: ob quod exigunt quinquaginta prædicata in Deo.

§. 129. Secundò impugnant: quia cognita semel omnipotentia, non est opus nouo prædicato ad plures creaturas; sed tantum noua omnipotentia declaratione: qui enim concipit omnipotentiam, concipit virtutem ad omnia possibilia: quando au-

H h 3

tem

S. Thom.
q. 10.

tem cognoscuntur hæc aut illa, rectè concipitur eadem omnipotentia ea esse possibile: ob quod à nullis dicitur visâ semel omnipotentia, totam videri; non tamen quoad omnes modos: at cognitâ omnipotentia, & non cognitâ scientia, & alijs attributis, non formatur tam bonus de Deo conceptus; est autem multò melior, quando additur conceptus obiectiuus de scientia, & alijs virtutibus Dei. Ad hæc potest visio intensa esse de paucioribus creaturis; remissa verò de pluribus, vt ostendi in visione Dei.

§. 130. Tertio impugnatur: Demus videri à Petro vnam speciem in omnipotentia, in scientia, & in centum alijs virtutibus; ab Antonio autem videri duas species sub omnipotentia sola: Petrus cognoscit vnum prædicatum omnipotentia, aliud scientia, aliud amoris, alia denique plurium virtutum; Antonius cognoscit duo prædicata vnus attributi. At quis non videat melius esse cognoscere centum prædicata Dei ad vnam creaturam, quàm duo ad duas? ergo ex meliori visione non arguitur maior extensio ad creaturas: nec ex hac maiori visione arguitur melior visio.

§. 131. Nec hæc sunt aliena à S. Thoma asserente cognitionem esse meliorem: non quòd de pluribus effectibus sit; sed quia de pluribus rationibus effectuum intelligibilibus, id est, vt effectus cognoscantur ex pluribus prædicatis causæ prius cognitæ. Quod non leuiter insinuat 3. Contra Gent. c. 59. vers. *Hinc est*, vbi constituit rationes intelligibiles creaturarum esse cognoscendas à comprehendente causam. Hanc autem rationem asserit esse diuinam bonitatem. Quod clarissimè explicuit Ferrara ibidem vers. *Ad secundum dubium respondetur*; videatur totus versus: clariùs autem id dixit q. 8. de Veritate art. 4. ad 1. Vnde S. Thomas perfectionem visionis Dei non accipit ex maiori extensione ad effectus, sed ex maiori penetratione rationum formalium, quibus visis videntur in Deo. Quando verò asserit perfectiorem notitiam porrigi ad plures effectus, intellige cæteris paribus, & in omnipotentia formaliter; quæ meliùs penetratur ad plures effectus; non tamen absolute, & in pluribus attributis.

§. 132. Obijcis Secundo, omnia attributa Dei videri. Respondeo, eo admissio, non omnia penetrari: melior ergo est penetratio octo attributorum ad vnum effectum penetratione vnus attributi ad duos: Deus enim meliùs cognoscitur.

SVBSECTIO V.

Christus aliquo actu cognoscit Deum sine vlla omnino creatura.

§. 134. **D**ico Secundo: Christus exercet aliquem actum determinatum ad Deum vt vnum & trinum, & omnia prædicata; quæ non est opus explicare ad creaturas absolute possibile: quo actu nulla cognoscatur nec in specie, nec in genere. Probatur. Hic actus est possibilis: ergo est in Christo. Probo consequentiam: quia perfectio possibilis in hoc genere non est cur Christo negetur. item hic actus est apprime consentaneus ad explicandam quasi fatalem necessitatem, qua anima Christi catenatur amore Dei, qui illi nec quoad speciem, nec quoad exercitium, nec quoad indiuiduationem sit liber: libertas enim in amore beatifi-

co deriuatur ex cognitione creaturarum: Christus igitur per hanc scientiam ita est defixus amando Deo, vt nullo pacto sit illi possibile ab eo amore indiuiduo cessare. Ab hac conclusione sunt, quot quot negant posse in Deo creaturam vllam cognosci nisi causaliter.

§. 135. Antecedens autem probo; nempe illum actum esse possibilem ex dictis §. 17. 18. & seqq. quia Deus est absolutus à creaturis, cum quibus non habet connexionem reciprocam: esset enim, quamuis illæ essent impossibiles. tum etiam quia omnipotentia non est de conceptu quidditatiuo Dei: Deus ergo potest quidditatiuè cognosci, quamuis nulla creatura in specie, aut genere.

§. 136. Obijcis non posse cognosci intuitiue Deum, quin omnipotentia: sed hæc non potest concipi, quin creaturæ saltem in genere: ergo nec Deus sine creaturis in genere. Huic difficultati respondi §. 19. Nunc autem placet ostendere omnipotentiam posse formaliter concipi, quin cognoscantur nec in genere creaturæ. Præmoneo, omnipotentiam posse concipi secundum conceptum perfectionis intrinsecæ Deo: item & secundum absolutam denominationem potentia. Primus conceptus est virtus faciendi quidquid non repugnet: secundus est virtus faciendi angelum aut hominem. in primo conceptu sita est ratio formalis omnipotentia: dum enim concipimus in Deo perfectionem faciendi quidquid non repugnet, concipimus omnipotentiam: quia hic conceptus est proprius Dei in ordine ad faciendum: item, quia si aliquid concipitur in factibile à Deo, non est ex virtutis diuinæ defectu, sed ex intrinseca repugnantia termini: qui factibilis esset à Deo, si ipse non haberet repugnantiam, vt fieret. at totus hic conceptus potest quidditatiuè formari, quin concipiamus aliquid esse factibile: quia illa virtus est in Deo semper, quamuis creatura sit possibilis aut impossibilis: at denominatio absoluta potentis pendet à possibilitate intrinseca creaturarum: ob quod videri non potest clarè absque illis: nec Deus relationem vllam secundum esse dicit ad creaturas; & quamuis diceret, illa relatio non esset quidditatiua omnipotentia. Hæc satis sit perstrinxisse, fufius disputata in visione Dei.

SVBSECTIO VI.

Christus vno actu cognoscit infinitas species substantiales.

§. 137. **D**ico Tertio: Christus alio actu cognoscit infinitas, imò omnes species substantiales rerum possibilem: imò omnes illas, quæ ab ea cognitione distinguuntur, & à reflexis actibus de eadem cognitione. vno verbo, ea omnia obiecta cognoscit Christus vno actu, quæ non inferunt cognitionem illius actus. Hanc conclusionem frequenter negant Thomistæ, arbitrati infinitarum specierum substantialium cognitionem fore infinitam propter calculationem; & quia esset infinita penetratio Dei, & quia infinita creaturæ non possunt tribuere obiecto certum gradum perfectionis. Bañes in 1. p. q. 12. art. 8. vers. *Secunda conclusio*: vbi ait: *Hæc conclusio asseritur contra tertiam sententiam; & quamuis eius oppositum non sit error certus*

in fide; est tamen proximum errori, si loquamur de facto.
Albelda in eundem art. disp. 31. num. 21. *verf. Ad quintum responderetur;* constituit videri ab anima Christi infinita accidentia; non tamen infinitas substantiarum species.

§. 138. Non semel dixi Thomisticos apertè aperte pugnare cum S. Thoma, nec abstinere à censura in illius opiniones. Bañes censuit esse proximum errori, à Beatis de facto videri omnes species creaturarum possibilem. Audiamus B. Thomam q. 8. de Veritate art. 4. ad 1. *Satis autem probabile est (inquit) quòd omnes videntes Deum per essentiam omnes creaturas cognoscant secundum species suas ad minus: & hoc est, quòd Isidorus dicit, quòd sciunt in Verbo omnia antequam fiant.* Nec ibi egit de futuris, de quibus negat eam cognitionem pluribus Beatis, eam constituens in solis angelis supremis. Hanc autem doctrinam aptat omnibus Beatis de facto: egit ergo de omnibus speciebus possibilibus: ubi etiam ostendit non satis esse ad comprehensionem cognoscere in causa omnes effectus; sed etiam omnium effectuum rationes, Nec sententiam hanc mutavit S. Thomas: etenim 1. p. q. 2. art. 8. asseruit in Deo non videri omnia: at non negavit notitiam omnium specierum, sed specierum & indiuiduorum simul: nec negavit cognosci infinitas species; nec dixit id non esse satis probabile. quod Bañes censet proximum errori. nec in 4. Sententiarum dist. 49. q. 2. art. 5. oppositum dixit. Quamvis enim ad primum testimonium S. Isidori, (cuius meminit de Veritate q. 8. art. 4. ad 1.) explicat de visione futurorum; tamen nusquam negavit non videri omnes species possibilem: negavit quidem videri omnia (nec satis clarè, sed videri omnia secundum omnes rationes intelligibiles) quod accipe etiam quoad indiuidua: de speciebus autem non negat, quod dixerat loco à me adducto, neque negavit id esse probabile. Idem patet in 3. Contra Gent. ca. 56. Opinioni igitur S. Thomæ inuritur à Thomisticis erroris nota. Ab ea conclusione sunt Durandus & alij. Probat: quia non repugnat, vt satis ostendi à sect. 2. ergo est in Christo: ne vllam in eo ignorantiam admittamus.

SVBSECTIO VII.

Cætera de cognitione Christi.

§. 139. **D**ico Quartò: Anima Christi actibus infinitis videt actum omnia obiecta possibilem in specie, & indiuiduo: vt nullum eam lateat in singulari. Est Durandi & aliorum, quod attinet ad multitudinem obiectorum: quod autem spectat ad actus infinitos, deducitur necessariò ex doctrina Augustini adducti §. 67. Recognosce quæ de futuris dixi §. 107. & quidem absurda esset in Christo ignorantia quævis, siue incitiam: Deus qui se ei animæ vniuit, cur negaret creaturæ alicuius cognitionem?

§. 140. **D**ico Quintò: Anima Christi non cognouit omnia possibilem collectiue: quia ea cognitio se cognosceret: vnde sunt in Deo multa prædicata, quæ omnino repugnat à creatura cognosci: ob quod Christus vt homo nec ex parte creaturarum nouit quidquid Deus, quia non nouit totam collectionem creaturæ; nec ex parte Dei attingit multa, quæ Deus intuetur.

SECTIO VIII.

S. Thoma
q. 10.

Vnde oriatur illa inequalitas cognitionum?

§. 141. **I**am non possumus non expedire hanc quæstionem: etenim & Durandus affirmans omnia possibilem necessariò videri, & P. Vasquez negans videri vlla in Deo viso vt obiecto formali, nos compellunt ostendere, cur hæc obiecta videantur potius, quàm illa: censent enim non esse caput vllum, vnde visio possit esse de ijs potius, quàm de illis: ob quod aut est de omnibus, aut de nullo: obiectum enim formale est idem; lumen est eiusdem speciei, & de eodem obiecto formali, vnde ergo oritur vt hæc visio possit esse de ijs, alia verò de alijs? ipsa in genere causæ formalis est ratio videndi hæc aut illa: at inquirimus quid sit in causa earum cognitionum. Agitur autem de cognitionibus ortis ab hoc lumine nobis communi: etenim Christus habet aliud lumen nobilius identificatum cum charitate & gratia alia, vt dixi disp. 48. §. 65. visiones ortæ ab hoc lumine particulari specie distinguuntur ab omnibus nostris ratione ipsius luminis; quamuis sint de eodem obiecto formali: hoc lumine possunt produci multi actus de varijs creaturis. de illorum inter se diuersitate est eadem quæstio. vide de Deo disp. 26. sect. 6. subsect. 3.

SVBSECTIO I.

Non oritur ab intensione actus.

§. 142. **N**onnulli censent rationem esse intensiorem actus, qui tam remissus esse potest, vt nullam intueatur in specie inuritur: secundo autem gradu videt aliquam earum speciem: tertio aliam. ob quod censent non posse infinitas sine infinita intensione videri. Contra: Intensio visionis non porrigitur nisi ad obiecta primi gradus: ergo hoc discrimen non oritur ab intensione. Probo antecedens: Primum ab actu charitatis, qui circa solum Deum intenditur, quin porrigatur intensio ad creaturas. Pone, hominem perfidum cogitare de Deo, quem solum propter ipsum amat charitate: hic actus circa solum Deum intenditur vehementius ex maiori attentione intellectus, & voluntatis conatu, quin tunc ametur creatura vlla. Pone, à Petro amari Deum solum actu vt octo; à Paulo autem amari Deum, & creaturam propter illum actu vt sex: hoc quotidie experimur: ergo circa plura obiecta potest esse actus remissior, quàm circa solum Deum. idem ergo erit in visione Dei; circa quem potest esse conatus vehementior, lumen intensius, & efficacior concursus obiecti.

§. 143. Secundò probatur idem antecedens: visio coloris circa idem indiuisibiliter obiectum est remissa & intensa: ergo intensio non est ratio videndi plura. Antecedens probo: quando videtur color per speciem tenuem ob distantiam obiecti, videtur quidem remissè; propius autem accedens obiectum, videtur intensius. Item lippus remissè eundem colorem videt; tersus autem oculis intensius: cæcitiens illum remissè videt absque conspi-

Hh 4 cilijs.

s. Thom.
q. 10.

cilijs, cum illis autem intensè. cælos remissè videmus absque tubo optico, cum illo intensè. Denique pone colorem, & lucem, indiuisibiliter acceptam: hæc videntur iam intensè, iam remissè: ergo circa idem omnino obiectum indiuisibiliter acceptum est intensio & remissio actuum. idem contingit in intellectu, quæ circa idem obiectum omnino intenditur & remittitur.

§. 144. Ratio à priori: quia omnes ferè qualitates suscipiunt magis & minùs in sua ratione formali, siue absoluta sit vt lux & color; siue connotet obiectum, vt species impressa, charitas, & alia: ergo etiam visio Dei circa ipsum Deum aut solum, aut simul cum alio obiecto, suscipiet magis & minùs, quin porrigatur ad aliud: imò actus remissus circa solum Deum, non intenditur circa creaturas, sed circa ipsum Deum. quia actus circa Deum solum potest esse intensus & remissus, vt patet in charitate: item actus circa Deum & angelum potest esse intensus & remissus: ob quod intensio circa duo obiecta supponit actum remissum circa eadem, illum quæ reddit maiorem, nec intendit actum remissum circa alia.

SVBSECTIO II.

Nec oritur ab extensione.

§. 145. Opinatur alij id oriri ab extensione actus eiusdem: considerant enim visionem beatam circa Deum, vt obiectum formale, quam dicunt esse quasi substantiam visionis: at circa obiecta creata extenditur illa visio. quæ extensio est vera representatio creaturarum; at non est noua cognitio, sed augmentum prioris: quia noua cognitio esset omnino distincta, & non vnita priori: differt autem ab intensioe; quia hæc semper est circa idem omnino, circa quod est actus remissus; extensio verò minimè. Hinc oritur penetratio in Deo maior aut minor in ordine ad creaturas: quia augetur cognitio Dei ad nouas, aut non augetur. Quam opinionem P. Suarez fatetur sibi non displicuisse, à qua non est alienus P. Albertinus.

§. 146. Quam impugno: Primùm, quia hæc compositio extensiuæ est absque firmo in philosophia fundamento: quia compositio extensiuæ est qualitatis eiusdem omnino rationis in diuersis subiecti partibus, quarum continuatio est in causa, vt qualitates partes sint quoque continuæ, vt patet in calore & candore: differt autem ab intensioe, quòd hæc est vnio diuersarum partium qualitatum in eodem indiuisibiliter subiecto. Vnde oritur qualitatem intensam esse simpliciter maiorem remissa; extensam autem secundùm quid meliorem contracta: sed illud augmentum non est noua qualitas eiusdem rationis cum præcedente: quia prior est de solo obiecto formali; secunda verò de solo materiali: ergo non est verum augmentum extensiuum.

§. 147. Obijcis Primùm, vocationem angelicam componi ex hoc augmento, quamuis est in eodem subiecto indiuisibili: item habitus naturales augeri extensione. Respondeo, impugnatum à me illam compositionem disp. 1. de Anima à §. 31. & disp. 16. de Anima à §. 24. Deinde extensio illa est in angelo eiusdem rationis: quia diuersæ

partes vocationum sunt ad spatia diuersa eiusdem rationis: habituum autem extensio, aut est ratione alicuius modi, vt sentit P. Vasquez; aut noui omnino habitus: alia autem ratione non potest intelligi.

§. 148. Secundò obijcis, hoc cognitionis augmentum esse nouam notitiæ rationem, quæ attingit etiam Deum, vt illa prior, cui additur. Contrà: Ergo est noua omnino cognitio: cur igitur vnitur priori? Item vnde ortum traxit illa diuersitas? recurrunt enim difficultates omnes petite ab idéitate obiecti, luminis & intellectus: implicantur item alia noua vix intelligibili.

§. 149. Obijcis Tertio, esse nouum actum terminatum ad solam creaturam. Contrà: Ergo non vnitur priori, vt conclusio non vnitur præmissis, nec electio intentioni. est quæ hæc opinio Scoti, admittentis distinctos actus circa creaturas derivatas ex visione Dei; in clariori eius explicatione: Scotus autem non admittit eorum actuum vnionem. Impugnatur præterea: quia recurrunt eadem difficultates; cur ex hoc actu Dei oriuntur actus circa has creaturas potius, quàm circa alias; cum obiectum formale sit idem, & lumen eiusdem rationis? quod autem potest obijci de speciebus impressis, expendam §. 163.

§. 150. Secundò impugno illud argumentum: Visio solius Dei est distincta adæquatè à visione creaturarum; siue visione creaturarum videatur etiam Deus, siue solæ creaturæ: ergo non est per extensionem actus eiusdem. Consequentia probatur: quia actus adæquatè distincti non vnuntur, nec efficiunt vnum. Antecedens probò: quia augmentum illud est representatio obiecti materialis, siue secundarij; actus autem de obiecto primarij non est representatio secundarij: sed actus de obiecto secundario non vnitur actui de primario, nec cum illo efficit vnum: ergo cognitio de creaturis non vnitur cognitioni de Deo. Minor probatur tum in charitate, in qua omnes Theologi distinguunt duos actus, alterum Dei, alterum proximi, quos in iustificatione probaui ex B. Gregor. alijsque Patribus; tum in præmissis, & conclusione, vbi conclusio non vnitur præmissis per augmentum. Quod clariùs patet in syllogismo constante ex altera præmissa euidenti, altera verò falsa: conclusio enim cum illis non potest efficere actum vnum: maximè in conclusione Theologica, quæ adæquatè distinguitur ab actu fidei, & à præmissa euidenti. Tandem quis conflauit vnum actum ex intentione finis, & electione mediorum, quando sunt distinctæ? Tandem à priori: quia actus non vnuntur vt subiectum & forma, nec vt partes integrantes, nec hinc in ratione intensiuæ: ergo non vnuntur.

§. 151. Præterea sunt eadem difficultates in hoc augmento: quare enim deriuatur ex ea cognitione augmentum circa hæc obiecta potius, quàm circa illa? deriuatur augmenta infinita, vel vnum circa omnia: cum ergo sint eadem difficultates, auctores huius augmenti implicantur alia noua.

§. 152. Tandem contra hoc extensiuum augmentum, & contra intensiuum impugnatum subiectione prima, argumentor: Eodem actu indiuisibilitet accepto cognoscitur quidditatiuè Deus, item & creaturæ in illo: ergo nec augmentum intensiuum, nec extensiuum cognoscunt aliud, quàm primua

gradus, cui fit additio. Probo antecedens: Primum, quia visio Dei non est discursiva, ut inferat unum actum ex alio. Secundò, quia visio quidditatiuè, ordine aut connexionè, non potest non formari conceptus de termino, si ex vi primi actus formari potest: si enim ego concipio coloris visionem tam clarè, ut ille conceptus sit quidditatiuus, quo explicare possum eam esse visionem de colore, clarè eodem actu concipio colorem: alioquin actus ille non repræsentat visionem explicabilem eo conceptu coloris. Quo differt à discursu syllogistico: non enim cognoscitur connexio subiecti & prædicati inter se in conclusione, nisi ex connexionè eorum vno tertio. quod genus cognitionis est, maximè imperfectum, pendens à pluribus actibus disparatis in præmissis: ergo est hoc augmentum noua repræsentatio, quæ vel est actus distinctus sine vnione; vel est vnus & idem sine augmento.

SVBSECTIO III.

Nec à luminum diuersitate.

§. 153. Existimant alij rationem esse ipsa lumina gloriae, quæ in specie infima conueniunt in attingendo Deo immediatè; secundariò verò creaturas: at ratione indiuidua differunt, quòd hoc est principium cognitionis Dei, & tot creaturarum; aliud verò Dei, & aliarum. Quæ sententia probatur P. Philippo Monzeo disp. 2. c. 1. vers. *Quocirca*; est quæ multorum, quam in parte docet P. Suarez de visione Dei c. 26. num. 21. planè autem Albelda disp. 31. num. 15.

§. 154. Hæc autem opinio meritò displicet P. Arubali disp. 26. c. 2. & 3. P. Molinæ in 1. p. q. 12. a. 8. disp. 5. membro 8. P. Vasquez 1. p. disp. 50. num. 27. P. Herize tract. 4. disp. 51. nu. 34. P. Fasolis q. 12. art. 8. dubit. 22. n. 123. vbi constituit in lumine exigentiam concursus, in Deo autem determinationem; & alij communiter. Quam probant Primum: quia quilibet habitus infusus potest sub sua ratione formali attingere omnia obiecta materialia sub formali contenta: sed lumen est habitus infusus, Deus est eius obiectum formale; creaturæ verò materiale: ergo lumen sub Deo viso potest videre quaslibet creaturas. Maior probatur Primum inductione charitatis; quæ in via & in patria potest in quolibet iusto amare propter Deum quaslibet creaturas, ex amabilibus propter Deum. Secundò, in fide, quæ in quouis fideli potest credere omnia obiecta reuelata à Deo. Tertio, in temperantia, quæ in quouis homine potest amare omnem mediocritatem in victu & potu ex suo formali obiecto. Secundò, probatur ratione: quia habitus infusus se habet instar potentia, quæ non acquiritur physicè per actus, nec intenditur: ob quod porrigitur ad omnia obiecta materialia sub formali contenta. Tertio, quia obiectum formale est tota ratio attingendi materialia: ergo vbi est virtus ad formale, est ad materialia. Fateor de potentia absoluta posse habitus adstringi ad pauca obiecta materialia: at hi non existunt, ut inductione patet.

§. 155. Explicatur. Communiter censent Thomistæ, habitus etiam naturales esse vnã simplicem qualitatem; quæ sub vna ratione formali obiectiua attingit omnia obiecta materialia. Nomi-

nales adstruentes qualitates distinctas habituales s. Thom. ad singulos actus in specie, id negant in supernaturalibus; in naturalibus autem impugnantur à plurimis: ergo constituere habitum per se infusum adstrictum ad certos actus est contra communem sensum scholarum. & meritò quidem; alioqui asserimus in fideli multos habitus fidei, & in iusto charitatis multos: est igitur communis habitibus infusis maior extensio ad obiecta, quàm in singulis eorum actibus.

§. 156. Secundò argitur: lumen adstrictum ad hæc obiecta potius, quàm ad alia, exigit concursum ex parte Dei in ratione obiecti, vel immediatè per se, vel mediatè per speciem impressam: hic concursus actiuus non est de se indifferens ad quamlibet visionem, sed accommodatus huic visioni, & lumini: ergo Deus in ratione obiecti præbet concursum, ut est obiectum ducens in hæc obiecta potius, quàm in illa: quia est concursus accommodatus huic lumini. Sic argitur: ergo quamuis hoc lumen sit de se indifferens ad plures cognitiones, & obiecta plura, adstringitur ad hunc actum, & hoc obiectum per concursum obiecti. Probo consequentiam: quia in alijs habitibus ita contingit: fides enim hac reuelatione adstringitur ad actum de hoc mysterio reuelato; charitas hac cognitione adstringitur ad hoc obiectum secundarium: ergo idem erit habitui luminis. Secundò, quia in potentijs cognoscitiuis ita cernitur: visus enim exercet visionem candoris per speciem impressam de illo: tactus sentit calorem sine specie impressa per concursum caloris in ratione obiecti (qua in re idem est concurrere per se, ac per speciem impressam): ergo quamuis habitus & potentia sint indifferentes ad plures actus & obiecta, adstringuntur per obiecta ipsa ad hos actus, atque hæc obiecta.

§. 157. Obijcies: Ergo quamuis obiectum sit vniuersale, si lumen adstringatur ex se ad hæc obiecta, & hos actus, determinabit obiectum ad eosdem, & non ad alios. Contrà: Ergo obiectum ratione diuersorum luminum determinatur ad hunc concursum actiuum potius, quàm ad illum: ergo obiectum est indifferens ad concursus diuersos. ut ergo à lumine determinatur ad hæc, cur non determinabitur à voluntate Dei, dante concursum, vel pro qualitate meritorum, vel pro existentia status cuiusque beati, vel pro suo arbitratu? ut per te præbet lumina diuersa. Ita ut quemadmodum per te datur tale lumen, cui debeatur hæc visio, & hic concursus; detur omnibus idem lumen potens ad omnia terminari; determinetur autem à Deo pro qualitate meritorum, aut status. hoc autem consonantius est naturæ habituum infusorum, & potentijs naturalibus: nec enim hæc sunt de se adstricta ad pauca obiecta materialia, sed indifferentia; determinantur autem ab obiectis ipsis. Vnde immeritò dicunt non esse aliud principium discriminis præter lumen; cum obiectum ipsum sit indifferens ad plures concursus obiectiuos, ad quos determinatur sua voluntate, eam flagitante merito cuiusque beati, vel statu. Quòd si hæc lumina ita sint adstricta, dicentur meritò esse species impressæ: ac proinde tota diuersitas visionum oriatur formaliter à concursu actiuo obiecti vel immediatè, vel per speciem.

S. Thom.
q. 10.

SUBSECTIO IV.

Respondetur ad argumenta.

§. 158. **A**lbelda mouetur Primùm auctoritate S. Thomæ q. 8. de Veritate art. 4. ad 12. cuius verba refert. Respondeo Primùm, in re vtrò citroque probabili, & ratione, & auctoritate, parum interesse hunc aut illum Doctorem ab hac parte esse, vel ab illa. Secundò, S. Thomas non infirmitat eam sententiam; sed inæqualitatem constituit ratione status Beatorum ad cognoscendos aliquos futuros euentus. Item ait nonnulla objecta esse de se patentiora: quibus inclinatur in sententiam à me probandam §. 165. à qua ipsum S. Thomam stare in 4. dist. 49. q. 2. a. 5. ad 10. ostendam apertè §. 165.

§. 159. Secundò arguit: Qui asserunt creaturas videri in Deo vt in causa, & essentiam Dei melius videri ab intellectu plus participante de lumine gloriæ, non loquuntur consequenter, cum negant rationem, cur ista potius videantur esse lumen gloriæ. Vnde arguit Tertiò: Sequeretur luminum diuersitatem nihil interesse ad diuersitatem visionis: at hoc est contra doctrinam B. Thomæ, & communem Theologorum, asserentium lumen infundi pro mensura charitatis: ergo. Maior probatur: quia per nos maior vel minor perfectio visionis attenditur per ordinem ad diuersam essentiam, cognitam quatenus virtualiter continet creaturas. Arguit Quartò: Essentia diuina in actus accommodatur in ratione objecti quantitati luminis: ergo etiam concursus in actu secundo est accommodatus luminis.

§. 160. Aduerte, visionis perfectionem sitam esse in intensione, attingentia plurimum aut pauciorum prædicatorum Dei, & in extensione ad plures creaturas. Perfectio intensiua respondet intensioni luminis: ita vt nec visio sit intensior, nec remissior lumine: consensus Dei tam generalis in ordine gratiæ, quàm obiectiuus, determinatur à luminis intensione. Sic accipio Alexandrum 1. p. q. 7. memb. 2. asserente essentiam melius videri ab habente melius lumen. Hæc intensio respondet intensioni charitatis in via (non ago de præmio ultra condignum, sed de condigno): cur ergo meremur augmentum gratiæ, meremur item augmentum gloriæ: diuersitas autem in intensione constituit quasi substantialle discrimen inter visiones: quia qualitas intensa est absolutè perfectior quàm remissa; non verò secundum quid, maximè in sententia probabilis constituyente intensiorem additione graduum dissimilium. Hoc autem commune est alijs habitibus per se infusis, ex quorum intensione metimur concursum aliarum causarum ad eorum actus exercendos (nisi quando adest auxilium extrinsecum): semper autem ex virtute habitus, aut auxiliij eleuantis potentiam dignoscimus concursum obiecti: at verò extensio ad creaturas, aut cognitio prædicatorum in Deo, pendet quidem per se ab habitu & obiecto: ab habitu vt principio eleuante intrinsicè potentiam, sed indifferenti ad plures visiones; ab obiecto autem vt determinante. intensio determinatur à lumine; obiecta autem ab ipso obiecto primario.

§. 161. Ad argumenta ex §. 159. respondeo consequentiam teneri: quia possunt creaturæ in Deo

vt in causa videri: item perfectionem intensiuam determinari à lumine; obiectiuam autem extensionem determinari ab obiecto. vtrumque autem ad vtramque est necessarium: attributione autem singularum, ideo actus est tam intensus, quia lumen est intensum: ideo autem extenditur ad hæc obiecta, quia obiectum ita concurrat, in quo nulla consequentia deferitur. Ad Tertium, nego Maiorem: lumina enim sunt in multis inæqualia propter meritum inæqualitatem: quæ luminum inæqualitas est substantialis: quia est in intensione. ab hac inæqualitate luminum oritur inæqualitas intensiua visionum; quæ constituit beatitudines quasi substantialiter inæquales. de quo agunt Theologi & Concilium Tridentinum: at inæqualitas obiectiua oritur etiam efficienter à lumine, æquali tamen in omnibus in actu primo ad omnia obiecta. Ad Quartum: Essentia accommodatur quantitati intensiue luminis; in extensione autem obiectiua accommodatur statui Beatorum in futuris: de possibilibus autem semper ostendit, quæ opus sunt ad perfectionem debitam vnus cuiusque meritis: ita vt non sit beatorum, qui non est sanctorum. Quolibet autem lumine sunt beati in actu primo ad omnia.

§. 162. Arguit Quintò, ab exemplo naturali: ex diuersitate specierum oritur diuersitas cognitionum de varijs obiectis: ergo & ex luminum diuersitate. Nego consequentiam: sed inferendum est, esse ex parte obiecti diuersas concursuum rationes; vt patet in fide: quæ cum vnus sit habitus, diuersis concursibus obiectorum determinatur ad varia. Nec video quid aliud vigeat.

SUBSECTIO V.

Nec oritur ex discrimine specierum impressarum de creaturis.

§. 163. **E**xistimant alij, hoc discrimen oriri ab specie impressa, quæ datur ad cognoscendas creaturas: essentia Dei vt obiectum formale concurrat actiue ad visionem sui: cum essentia concurrere potest species impressa de homine, vel leone; & pro diuersitate specierum oritur cognitio iam de homine, iam de leone. Hæc opinio si accipiat de vna specie impressa representante Deum, & creaturam aliquam, habet difficultatem communem de repugnantia speciei impressæ Dei de lege communi; eâ tamen admissâ, est eadem illius ratio, quæ de concursu actiui Dei in ratione obiecti, ad quod confugiendum.

§. 164. Si verò species illa sit de sola creatura, non potest admitti: quia creatura & Deus videntur eodem actu, ad quem concurrat Deus seipso in ratione obiecti. quod ad producendam cognitionem de creatura seipso sufficit: quia ipsa connexio, aut transcendentalis ordo satis est: nec enim potest cognosci scientia Dei vt relata ad creaturam, quin ipsa scientia repræsentet creaturam melius, quàm species. Quam ob causam cum apprehensione obiecti non concurrat species eiusdem obiecti ad iudicium; nec item cum præmissis ad conclusionem, vt sapius ostendi in philosophia. Quod si quis hæreat speciem requiri vt efficiat loco obiecti, se tenebitur tandem.

SUBSECTIO VI.

Discrimen oritur ex voluntate, & concursu obiectino Dei.

§. 165. **D**icendum existimo, rationem, ob quam fit visio de hac creatura potius, quam de illa, esse voluntatem Dei, qui voluit præbere concursum obiectiuum, quo cognosceretur Deus vt potens angelum, vt explicatur cum relatione ad illum: qui concursus efficit visionem Dei vt productiuam, aut cognoscitiuam angelorum, quæ terminatur etiam ad angelos eosdem. Hic concursus præbetur formaliter à Deo, à quo oritur immediate: at Deus per illum vices gerit creaturæ cognitæ; quæ in ratione obiecti concurrunt etiã per concursum eundem: ob quod Deus in ratione obiecti coniungitur intellectui, vt est principium angeli aut hominis, & concurrunt per se vt obiecto formali, & pro angelo vt materiali. Quam doctrinam dixit aperte S. Thomas in 4. d. 49. q. 2. art. 3. ad 10. cum enim in hac difficultate versatus, obieciisset, non esse vnde hæc obiectiua differentia esset in actibus, ait: *Ad decimum dicendum, quod, quamuis essentia diuina sit ratio omnium cognoscibilium; non tamen coniungitur cuiuslibet intellectui creato, secundum quod est ratio omnium, & ideo ratio non sequitur.* Vbi B. Thomas non deduxit cognitionum veritatem obiectiuam ex luminum diuersitate, sed ex coniunctione Dei cum intellectu: hæc autem coniunctio est in ratione obiecti. Quod autem q. 8. de Veritate art. 4. ad 12. ait nonnulla obiecta esse de se apparentiora, rectè dixit: substantia enim magis apparet suis accidentibus, quæ in ipsa substantia etiam videntur.

§. 166. Dixi id oriri ex voluntate Dei: quia cum ipse sit obiectum liberè concurrens etiam in ratione obiecti, ipse suas actiones pro arbitratu dispensat: ob quod frequenter dicitur speculum voluntarium: at Deus frequenter vult motus aliquo in Beatis fundamento; vel ratione statui, vel vt visiones æquentur, aut disparentur: in Christo autem ratione vnionis. Ab hac sententiã sunt auctores adducti §. 154. Adde P. Suarez adductum §. 153. qui nobis fauet in parte.

§. 167. Probatum Primam ab inductione: fides est indifferens ad diuersa obiecta materialia; determinatur per diuersas reuelationes: visus est indifferens ad varios colores; determinatur per illorum concursus obiectiuos media specie impressa: calor se ipso sine specie tactum determinat. Imò idem obiectum melius, aut peius cognoscitur pro perfectione aut imperfectione speciei eiusdem, vel diuersorum: est ergo hæc ratio maximè consentanea philosophia.

§. 168. Dices, Deum esse omnino idè obiectum. Respondeo, esse idem formaliter, virtualiter autem esse plura: vt idem color est virtualiter plures per comparationem ad species, magis minùsve perfectas. Ob quod Deus in actu primo, seu quoad sufficientiam, omnia præsentat necessario; vt dixit S. Thomas 1. p. q. 12. ad argumentum ex S. Gregorio: at in actu secundo, & in efficacia ea representat liberè.

SECTIO IX.

Vtrum anima Christi Deum comprehendat?

§. 169. **H**æc quæstio est difficillima: quia non satis constat apud omnes quid sit comprehensio: si enim de ea constaret, hæc quæstio esset explicata facilis. Non possum aliorum præterire sententias. Et Primùm statuo, esse certum apud Theologos (quamuis non ex fide) Deum non posse à Beatis comprehendi. De incomprehensibilitate Dei est tota disput. 27. de Deo. Hic breuius agitur; & ea omitterem, nisi morem gererem B. Thomæ, vsuique communi.

SUBSECTIO I.

Nonnulla de comprehensione.

§. 170. **A**ccipitur comprehensio multipliciter. Primùm propriè, comprehendere est manu capere, & tenere: vt dixit Plautus, *Comprehendite, vincite, verberate:* id est, tenete manibus, ne diffugiat. Cicero de Natura Deorum: *Quid opus manibus, si nihil comprehendatur? Hostem in fuga comprehendere; & arma comprehendere,* dixit Cæsar. Per translationem significat bene percipere, quæ audiuntur aut leguntur: *Que didicisti, quæq; ab adolescentia pulcherrimè ac sapientissimè viris tradita, memoria & scientia comprehendisti:* dixit Cicero.

§. 171. Hinc oritur secunda significatio translata à manibus ad intellectum: est ergo comprehendere, firmiter aliquid mente tenere, & percipere. Hinc videntes Deum dicuntur *comprehensores*; nos autem *viatores*. illi enim rectè percipiunt Deum, ac tenent; qui eis non eripietur: nos autem tendimus peregrini, vt in patria teneamus Deum. Est igitur visio Dei comprehensio Dei, aut formalis, aut radicalis: (non enim disputo, vtrum comprehensio formalis sit actus intellectus, an autem voluntatis?) Sic *currite vt comprehendatis.* 1. ad Cor. 9. 24. est autem sermo de allecutione Dei præmij bonorum operum: item, *Sequitur autem, si quomodo comprehendam.* Philip. 3. 12.

§. 172. Hoc genus cognitionis perfectæ subdiuido in perfectam quidem, non tamen exactam. Nisi enim res penitus calleatur, non comprehenditur propriè: ob quod bene Latini rem dicunt animo, mente, ratione, sensibus & intelligentia comprehendit; quando omnes eius partes tam bene calentur, vt eam totam possimus digerere mente & oratione. Vnde comprehensio, de qua præsens inquit disputatio, est perfecta cognitio totius obiecti, cuius nihil lateat cognoscentem. B. August. to. 2. epist. 112. c. 8. ait: *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt.* Nihil latere est de ratione comprehensionis, circumspicere autem fines est in obiecto, cuius non possunt omnia patere, nisi terminis circumscriptis. Quod explicuit Augustinus ibidem: *Exempli gratia (inquit) duo proposui, quorum alterum ad mentis obtutum; alterum ad corporales oculos pertinet. ea autem sunt: Sic ut se nihil latet presentis voluntatis*

S. Thom.
q. 10.

luntatis tuae, circumspicere autem potes fines annuli tui. Hæc obseruata: quia nonnulli censere non posse Deum à nobis comprehendi: quia cum careat finibus, non possunt illi videri. quod etiam probaret, nec à se ipso comprehendi Deum, qui non potest videre suos fines: quia iis caret. Innituntur autem hoc testimonio Augustini, qui fines accomodat obiecto corporeo.

§. 173. Vt hæc cognitio sit cōprehensio, non est satis eam esse qualemcumque cognitione omnium quæ sunt in obiecto: si enim cognitio sit abstractiua, per alienas species, & non per proprias, vel in se quidditatiua, vel in causa æquæ magis perfecta, non est comprehensio. Quia rem non tenet, cuius vix formatur conceptus proprius: quod cum S. Thoma 1. p. q. 12. a. 7. omnes Theologi docent. est ergo comprehensio cognitio obiecti quidditatiua, qua pateant cognoscenti omnia, quæ sunt in obiecto formaliter & eminenter: cognitio autem quidditatiua est, vel immediata clara & euidēs per propriam speciem, aut immediatè per obiectum; vel est à priori in causa æquæ aut magis perfecta, cognita etiam quidditatiuè. Si enim ego scientia infusa Deum cognosco in scientia beata prius cognita, eum non cognosco quidditatiuè: si autē in lumine gloriæ, & intellectu ego cognosco visionem Dei, eam quidditatiuè cognosco. Quanta autem perfectio exigatur ad comprehensionem; est quod quæstionem hanc mille implicat nodis.

§. 174. Cum autem comprehensio sit notitia quidditatiua obiecti, & omnium quæ in ipso sunt eminenter, toties diuiditur comprehensio, quoties cognitio quidditatiua obiecti explicati. S. Bonauent. in 3. allegatus §. 100. & Scotus §. 92. item & Ricardus, censent à Beatīs posse cognosci habitualiter, non actualiter, omnia quæ sunt in Deo. Nonnulli arbitrati habitu contineri aliquam omnium cognitionem, eos impugnant: quia si est habitus ad omnia, etiam erit actus; quia habitus non tendit in obiectum nisi per actus. est tamen alia eorum mens: censent non posse vno actu omnia simul representari: at nullum esse in singulari, quod non possit aliquo actu cognosci, vt clarissimè constat ex Bonauent. asserente paratissimam esse Dei voluntatem ad ostendenda Christo quælibet obiecta. est igitur iste habitus in sententia Bonauenturæ & Henrici, lumen habituale, potens elicere visionem Dei de quolibet obiecto: in sententia autem Scoti est ipsa visio Dei, ex qua possunt aliæ de creaturis deriuari. Hanc visionem, vel hunc habitum, possumus appellare comprehensionem habitualem; quæ est comprehensio secundum quid: actualis autem omnium prædicatorum cognitionem quidditatiuam, appellamus absolute comprehensionem: nisi æquiuocè accipiatur pro actuali & habituali, & vtraque sit absolute comprehensio: vt est.

§. 175. Actualis comprehensio est vulgaris, & metaphysica: vulgaris est, qua cognoscuntur in causa omnes effectus quoad speciem; in individuo autem non cognoscuntur omnes. Exempli gratia, angelus actu naturali comprehendit solem, in quo cognoscit lucem, calorem, & siccitatem, & omnes alias species: at non cognoscit omnia individua lucis, quæ potest producere, nec omnes individuos colores: sunt enim infiniti, qui actu naturali nequeunt exprimi: cognoscit tamen quot possit vna,

(vt ita dicam) vice producere. cognoscit enim posse aut centum, aut mille, aut sine fine, si subiecta applicentur. Hoc enim necessarium est ad comprehensionem etiam vulgarem: opus enim est ad equum comprehendendum scire, quo tempore durare possit in cursu. Exacta verò & metaphysica comprehensio est cognitio omnium etiam indiuiduorum, quæ continentur in potentia causæ, quæ comprehenditur.

§. 176. Alij addunt comprehensionem obiectiuam: licet enim Deus non possit in se comprehendere, dubitant vtrum possit comprehendere vniuersitas creaturarum possibilem? Aduerte, comprehensio Deo comprehendere etiam creaturas omnes, quæ sunt in ipso omni modo possibile: sæpè autem comprehenditur aliquid, quin comprehendantur omnia, quæ connotat; vt Deus non comprehenditur comprehensione Solis.

SVBSECTIO II.

Examinatur doctrina P. Vasquez.

§. 177. **O** Kam, Gabriel, & alij opinati in Deo vt in obiecto cognito nullam creaturam posse videri, dicunt ideo Deum esse incomprehensibilem: quia Deus non potest esse medium, quo cognoscantur quæ in illo sunt eminenter. ad comprehensionem enim exigunt, vt ex vi Dei cogniti videantur omnia, quæ sunt in Deo eminenter. Nec negant posse eodem actu cognosci Deum, & creaturas omnes; asserunt tamen nec creaturas videri in Deo, nec Deum in creaturis; sed esse actum de vtrisque disparatè: qui perinde est, ac si essent duo comitantes. Quam rationem reddit P. Vasquez, 1. p. disp. 53. cap. 4. & disp. 60. ca. 1. ad finem: quam adscribit Alexandro 1. p. q. 7. membr. 1. in quoniam pro ea animaduertit.

§. 178. Hæc sententia est valdè probabilis ex suppositione, quòd creaturæ non possint in Deo cognosci, vt in obiecto formali prius cognito. Quam tamen impugnaui disp. 10. de Anima §. 35. & 36. quia nec Deus seipsum comprehenderet: ergo. Probo antecedens: quia ad comprehensionem exigitur, vt cognoscantur in se omnia, quæ sunt formaliter in Deo, & ratione illius cognoscantur, quæ eminenter: sed Deus ratione suæ essentia non potest cognoscere, per te, quæ in ipso sunt eminenter: ergo non potest Deus seipsum comprehendere.

§. 179. Huic argumento, responderet P. Vasquez, Deum seipso comprehendere: quia eius visio de se ipso est ex vi sua cognitio omnium possibilem, & existentium, ex hypothesi quòd possibilem sint, & existentia. Requirit igitur ad comprehensionem, vt hæc ex vi sua cognoscat omnia quæ sunt in obiecto formaliter & eminenter: hoc autem contingere potest, vel quia cognitio vi sua attingit obiectum comprehensum, & in eo vt in causa prius cognita attingit etiam effectus: vel quia ita est natura sua perfecta, vt ratione suæ perfectionis attingat omnia cognoscibilia. Quod cognitioni create non conuenit.

§. 180. Sic argumentor: Potest esse cognitio creata intuitiua Dei, quæ ex vi sua sit cognitio Dei, & omnium possibilem, & existentium, quamuis non in Deo vt in obiecto prius cognito: ergo Deus est etiam comprehensibilis à creatura. Probo an-

recedens: Primum, quia vna cognitio potest esse simul Dei, & omnium creaturarum per propriam illarum speciem: quod non inficiantur ij Doctores, nec potest ostendi in illorum sententia vlla repugnantia: sed illa cognitio est ex vi sua cognitio omnium, quæ sunt in Deo formaliter & eminenter: ergo. Probo Minorem: Illa cognitio ex vi sua est essentialiter cognitio sui obiecti formalis: sed obiectum formale illius sunt Deus, & creature possibili, & existentes: ergo illa ex vi sua repræsentat Deum, & omnes creaturas.

§. 181. Dicent, illa duo obiecta esse comitantia, quæ perinde sunt, ac si essent duæ cognitiones de illis. Contrâ: Obiecta quidem in ratione obiecti sunt etiam comitantia respectu cognitionis increatæ: & tamen, quia hæc ex vi sua omnia attingit, est Dei comprehensio: sed etiam hæc cognitio creata ex vi sua omnia attingit, quamuis obiecta in esse obiecti sint comitantia: est ergo etiam comprehensio Dei. Probo Maiorem: quia quando duo cognoscuntur simul vno aut pluribus actibus, & neutrum est causa obiectiua, seu ratio ob quam cognoscatur alterum, cognoscuntur comitanter: quæ enim sunt simul sine vlla causalitate, sunt comitantia, quia nec habent temporis prioritatem, nec naturæ, nec rationis; quæ innituntur aliqua dependentia: sed Deus in ratione obiecti cognoscitur simul cum creaturis, & in ratione obiecti nullam exercet causalitatem obiectiuam: hæc enim est sola manu ductio obiecti formalis in materiale, siue primarij in secundarium: ergo Deus, & creature in ratione obiecti sunt comitantia.

§. 182. Dicent Secundò, cognitionem diuinam terminari primum ad Deum, posteriùs autem ratione ad creaturas: fundari hanc causalem propositionem, *Deus quia se cognoscit, cognoscit creaturas*; & negari hanc, *Quia cognoscit creaturas, cognoscit se*: in cognitione autem illa de qua est argumentum, nulla fundatur causalitas. Contrâ: Illa causalitas est in essendo, non verò in ratione obiecti: Deus enim in suo esse est independens à creaturis etiam possibilibus, & in illo priori cognoscitur: creature autem sunt dependentes à Deo etiam in esse possibili, & in illo secundo signo noscuntur: non quòd Deus vt obiectum cognitum se manu ducat in creaturas; sed quia cognoscitur independentia in esse à creaturis; creature verò cum dependentia in esse à Deo: sed hæc omnia contingunt in ea cognitione, de qua est sermo: ergo aut Deus se non comprehendit, aut potest comprehendi à creatura. Probo Minorem: quia Deus etiam à nobis potest concipi vt prior, ita vt cognitio illum repræsentet in primo aliquo signo rationis, vt increata cognitio illum repræsentat. Deinde vel per nouam formalitatem cognitionis creatæ, vel per nouam connotationem ad creaturas, concipiatur cognitio creata ad illas extendi, vt concipitur extendi cognitio increata: seruetur item eadem proportio cognitionis creatæ ad increatam attingendi Deum, & sit vera hæc causalis: *Quia Deum cognoscit, cognoscit creaturas*; & non è contrâ, *Quia cognoscit creaturas, cognoscit Deum*; non quidem ratione obiecti formalis, & materialis, sed propter prioritatem rationis vnius formalitatis, aut denominationis, qua tantum significatur prioritas Dei in essendo, & posterioritas creaturarum: vt cognitio de animali rationali potest partiri in duos conceptus aut denomi-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

nationes, quorum alter sit ratione prior, propter ^{s. Thom.} _{q. 10.} prioritatem animalis.

§. 183. Secundò probo idem antecedens ex §. 80. nempe posse esse cognitionem creatam ex vi sua Dei, & omnium creaturarum, in qua fundetur hæc propositio causalis, *Creatura cognoscuntur, quia cognoscitur Deus*. Sic arguo: Cognitio Dei est de creaturis propter suam perfectionem, qua est cognitio Dei de se ipso: eò enim quòd est Dei de Deo, ei debetur cognitio omnium creaturarum: sed hæc perfectio potest communicari alicui creature: ergo. Probo Minorem: cur enim repugnet lumen tam perfectum, cui ratione suæ perfectionis in attingendo Deo debeat cognitio alicuius obiecti creati, non in Deo vt in obiecto priùs cognito, sed in Deo vt in obiecto infinite excedente creaturas? Nec facile ostendes duo prædicata reciprocè contradicentia: at datà cognitione vnius creaturæ, cur non poterit dari de omnibus? iam enim coguntur aduersarij in eadem, in quas cæteri, angustias. Huius cognitionis meminit P. Albertinus q. 4. Theologica in 1. corollar. primi princip. philosoph. nu. 10. §. *Ad argumenta autem, & q. 5. n. 2.*

§. 184. Tandem illa ratio comprehensibilitatis non videtur admodum utilis huic scopo: si enim obiecta in ratione obiecti sunt comitantia, nec alterum in altero, aut ex altero penetratur; quid interest cognitionem esse ex comitantia obiectorum, aut ex sua perfectione talem? Aristoteles definiens syllogismum, dixit esse in quo quibusdam positis aliud sequi necesse est ex eo quòd hæc ponantur: ob quod si aliquid simul cognoscitur ex vi perfectionis, quam habet cognitio, non verò ex vi medijs syllogistici, est per accidens syllogismo: ergo etiam est per accidens Deo vt cognito, quòd cognitio de eò sit tam perfecta, vt cognoscat etiam alia, nisi ea cognoscat ex vi ipsius Dei cogniti vt medijs ad inferendam aliorum notitiam.

SVBSECTIO III.

Examinata doctrina Durandi.

§. 185. **E**X Durando aliam possumus inire rationem vendicandi Deum à nostra comprehensione. Constituit in Beatis necessariam cognitionem omnium possibilium in genere, specie, & individuo: ita vt nulla possibilis lateat beatum; negat tamen ab eo comprehendi Deum: quia futura non cognoscuntur, nec multa prædicata, quæ Deo conueniunt liberè, vt voluntas de producendis creaturis, scientia de illis, & alia prædicata prouidentia diuina: quia Beati non possunt cognoscere nisi Deum secundum se, in quo vt in obiecto cognito non possunt repræsentari, nisi quæ cum illo habent necessariam connexionem: hanc autem non habent futura, sed sola possibilis: ergo ex visionis non possunt in Deo cognosci nisi *possibilia*, non verò futura. vt autem Deus comprehendatur, opus est vt ex vi visionis cognoscantur omnia, quæ in ipso sunt formaliter & eminenter: ergo Beati non possunt Deum comprehendere. Quæ docuit Durand. in 3. dist. 14. q. 2. n. 4. & in 4. dist. 49. q. 3. n. 15. quem alij secuti.

§. 186. Quæ sententia duo præstat apertè. Alterum, quòd rationem claram reddit incomprehensibilitatis, id est, statur in aliqua ratione aperta, &

li non

S. Thom.
q. 10.

non diuinatoria. Alterum, quod hæc ratio propius accedit ad communem Patrum assensum de comprehensione, quam nihil lateat obiecti. Fateor à Durando etiam negari comprehensionem Dei, licet in ipso omnia possibilis & futura cognoscantur: quia illa cognitio creata nec esset tam clara, quam increata cognitio; nec esset tam perfecta, quam obiectum. quod dixit apertè in 3. dist. 14. q. 1. n. 10. & q. 2. n. 6. idem videtur insinuare.

§. 187. Impugnatur. Beatus in Deo ut in obiecto prius cognito potest videre omnia possibilis: ergo potest Deum comprehendere. Probo consequentiam. Primum, quia Deus seipsum comprehendit sola visione sui, & omnium possibilium in se, quin ad comprehensionem exigatur cognitio futurorum: ergo & à beato illa ratione comprehenditur. Probo antecedens: Primum ex frequentiori opinione Theologorum asserentium Verbum procedere ex comprehensione Dei; at non procedere ex cognitione futurorum, sed tantum ex possibilium: sentiunt ergo terminationem ad futura non pertinere ad comprehensionem Dei. Secundò, quia anima rationalis comprehenditur cognitione ipsius, & omnium quæ potest efficere: etenim homo dormiens, & nihil operans, comprehenditur actu supernaturali ab angelo: idem autem actus perseveret homine excitato, & liberè operante; idem est comprehensio. Rationes sunt duæ. Altera, quod actualis operatio non est argumentum maioris virtutis ei, qui totam virtutem actiuam ita cognoscit, ut cum nihil lateat: effectus enim sunt argumenta virtutis non cognoscenti adæquatè, quod se possit ipsa virtus porrigere. Secunda, quia non spectat ad comprehensionem, nisi quæ in re comprehensa possunt cognosci: sed actus liberi non sunt cognoscibiles in essentia Dei, nec creaturæ: ergo eorum cognitio non spectat ad comprehensionem.

§. 188. Obijcis: Si beatum latet aliquod prædicatum Dei: ergo Deum non comprehendit: quia comprehensionem nihil lateat obiecti. Distinguo consequens: si latet prædicatum necessarium, & cognoscibile in essentia Dei, Deus non comprehenditur, concedo consequentiam: prædicatum liberum, & non cognoscibile in essentia, nego consequentiam: quia ea debent apparere, quæ in obiecto comprehenso possunt cognosci, non verò aliunde cognoscibilia. quod apertè cernitur in anima.

§. 189. Secundò impugnatur: Beatus visione Dei potest cognoscere omnia futura: ergo etiam poterit Deum comprehendere. antecedens non est, cur negetur à Durando: siquidem omnia possibilis possunt, & necessariò cognoscuntur qualibet visione beata: dare igitur aliam, quæ representet etiam futura in Deo volente & cognoscente, cognito sub ea ratione, non arguit infinitatem: ipse enim Durandus in 3. dist. 14. q. 2. n. 6. censet hanc visionem esse minorem diuina, non in multitudine obiectorum, sed in claritate & perfectione. Nec hoc argumento facilè se expedient eius sententiæ auctores.

§. 190. Dicent, Deum comprehendere à se ipso visione sui, & omnium possibilium, & futurorum, non verò à creaturis. quia Deus ita cognoscit futura omnia, & suos actus liberos, ut eodem actu realiter cognosceret etiam alia futura, si essent, & alios actus suos liberos, & identitatem realem,

quam tunc haberet cum essentia: at hoc numero actu non possunt Beati ea cognoscere. Contra: Beati vident Deum essentia diuina inuariata posse alios effectus amare cum identitate reali sui cum quouis actu libero: noscere autem quos nunc habet actus, & quas denominationes, non spectat ad comprehensionem: sicut, nec quas actiones liberas animus exerceat.

§. 191. Deinde, Beati possunt cognoscere omnia prædicata Dei tam absoluta in se, quam relatiua secundum dici ad creaturas, quæ illi insunt necessariò: noscere item possunt omnia prædicata libera, quæ habet nunc comparatione creaturarum: item & illis realiter actibus, non verò alijs realiter distinctis, potuisse Deum hos effectus nolle, & alios velle: & cognoscunt identitatem realem essentia cum illis actibus, si essent quoad denominationem. (nam quoad existentiam sunt:) ergo beatum nihil Dei latet: non ex necessarijs, neque ex liberis, nec identitas realis horum actuum cum alijs, & cum essentia: ergo Deum comprehendere possunt. Nec verò opus est cognoscere quæ non sunt, sed omnia, quæ sunt: si autem alia essent, possent alio actu cognosci, & comprehendi Deus.

SVBSECTIO IV.

Examinatur opinio de aequalitate comprehensionis cum obiecto comprehenso.

§. 192. **E**xistimant alij ad comprehensionem esse necessariam aequalitatem comprehensionis cum obiecto comprehenso. Hæc aequalitas potest excogitari vel physica inter actum, & obiectum: ita ut physice sit tam bona comprehensio, quam obiectum: vel potest excogitari obiectiua tantum, ut sit intentionaliter talis adæquatè, quale est obiectum: ita ut omnia, quæ sunt in obiecto, represententur quidditatiue comprehensione, & in illa sint obiectiue, ut sunt realiter in seipsis. Hic sensus examinabitur inferiùs: nunc autem operimur. Hinc deducunt iuuctores, Deum non posse à nobis comprehendere, quamuis in eo videantur omnia, quæ sunt in ipso formaliter, & eminenter, possibilis, & futura. Quia nulla cognitio creata potest esse physice tam bona, quam Deus: imò nec anima Christi Deum comprehenderet, quamuis intelligeret formaliter cognitione increata Dei: quia licet illa sit tam bona, quam Deus ipse; tamen unio intellectio ad intelligente in est minus bona, quam ipse Deus: intelligens enim aliquid comprehendens, debet esse tam bonum, quam obiectum comprehensum.

§. 193. Hæc doctrina est Durandi in 3. d. 14. q. 1. n. 10. cuius verba sunt apertissima: quam amplexi sunt Nominales, quos secuti recentes nonnulli, nec pauci, nec indocti, P. Herize disp. 4. c. 4. & P. Arabal disp. 33. c. 3. & 4. & alij. Cui ansam præbuit S. Thomas 1. p. qu. 12. a. 7. clariùs autem q. 14. a. 3. Vbi concludit Deum à se ipso comprehendere: quia eius cognitio habet tantam perfectionem, quantum ipsum obiectum: unde concludit à seipso tantum cognosci, quantum est cognoscibilis: quia verò creatura non potest tanta perfectione Deum cognoscere, quantum ipse est cognoscibilis, ideo à nulla potest comprehendere. idem repetit 3. Contra Gent. c. 55. Recognosce §. 37. & 38.

§. 194.

§.194. Est tamen diffidium inter hos Doctores: Durandus existimat Deum non iri à creatura comprehensum, quamvis in eo cognoscerentur omnia possibilia, & futura, quia adhuca cognitio esset imperfectior Deo: at S. Thomas 1. p. q. 12. a. 8. & 3. p. q. 10. art. 2. & alibi asserit Deum in eo euentu iri comprehensum. in quo quidem clarior est Durandus: & S. Thomas eget explicatione: nec enim est satis apertè locutus: non enim probauit ex cognitione omnium sequi modum infinitum per essentiam in cognitione, quod erat probandum ex hypothesi, quòd constituerat non comprehendi Deum nisi cognitione tam bona, quam est ipse. Nec quod dixit 3. Contra Gent. c. 55. id probauit, vt ostendam inferiùs.

§.195. Addo à S. Thoma non constitui comprehensionem Dei in sola cognitione omnium creaturarum; sed in earum cognitione sub omni ordinatione diuina, qua possunt à Deo per prouidentiam, multasque virtutes dirigi in suum finem: cognitio enim omnium creaturarum in sola omnipotentia, non est adæquatè cognitio Dei, etiam in ordine ad creaturas, ad quas habet Deus alia prædicata præter omnipotentiam, nempe scientiam, misericordiam, iustitiam, &c. Quod clarissimè dixit ipse B. Thomas q. 8. de Veritate a. 4. ad 1. *Aliud, inquit, est scire omnes res; aliud autem scire omnia intelligibilia de rebus: satis autem probabile videtur, quòd omnes videntes Deum per essentiam omnes creaturas cognoscant secundum species suas ad minus. Non autem oportet quòd angelus sciens aliquam rem, sciat omnes rationes intelligibiles de ipsa: est forte sciat omnes proprietates naturales, quæ comprehensione essentia cognoscuntur; non tamen scit eam secundum omnes rationes, quibus substat ordini diuina prouidentia, qua vna res ordinatur ad varios euentus.*

§.196. En, ex B. Thoma possunt cognosci omnes species creaturarum, quin cognoscantur omnes rationes, quibus sunt cognoscibiles: ergo ex præciso conceptu omnium creaturarum in Deo, non sequitur Deum comprehendendi nec absolutè, nec ex B. Thoma: cum ergo 3. Contra Gent. cap. 56. sine dixit: *Quòd autem omnia per ipsum intelligi possint, & cognoscantur; hoc absque comprehensione non potest accidere, vt ex prædictis apparet;* explicandus est: quando cognoscuntur omnia sub omni ratione formali, qua sunt in Deo intelligibilia: si autem cognoscuntur omnia secundum proprietates naturales, non sunt in Deo cognita perfectè; ac propterea nec Deus comprehenderetur. Hæc dixi, vt multi animaduerant, quo pacto accipiendus sit B. Thomas, quando agit de comprehensione Dei per cognitionem omnium creaturarum.

SUBSECTIO V.

Impugnatur ea sententia.

§.197. **P**rimùm ea sententia deseritur à plerisque Theologis; qui meritò censent non exigi in comprehensione obiecti tantam perfectionem, quantum habet obiectum. Primùm, nullus ita desipuit, nec potuit (nisi insanus omnino,) vt arbitraretur posse actum creaturæ esse tam perfectum, quam Deum: asseruerunt autem aliqui posse Deum actu creato comprehendendi. Hos Patres damnauerunt, asserentes Deum esse à nobis incomprehensibilem: at non eò confugerunt, vt proba-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

rent nostram cognitionem esse æqualem perfecti-
oni Dei: ergo comprehensionem non acceperunt
in eo sensu.

§.198. Dicent ab errantibus asseritam comprehensionem Dei, quam à Patribus nouimus esse damnatam: at non omnes Patres eandem reddere rationem; nonnulli autem Theologi eam reddunt. Fateor sæpè dogmata stabiliri, & in eorum rationibus interdum nutari: quia ratio in Theologia est minùs certa frequenter, quam conclusio: in præsentia autem est hæc ratio tam clara, & opposita tam aliena ab hominum mente, vt ipsi errantes irrideret Patres, si eos viderent incomprehensionem Dei propugnare eo argumento: responderent enim sibi in mentem nec venisse cogitare suos actus esse Dei æquales in perfectione; sed à se videri Deum comprehensiuè: quia nihil Dei eos latebat. Hoc argumentum non est demonstratio Theologica; est tamen moraliter efficax.

§.199. Secundò argumentor: ad videnda omnia, quæ formaliter & eminenter continentur in substantia creata, eamque comprehendendam, non est opus vt cognitio comprehensiuæ sit substantia: cum omnis creata cognitio sit accidens: & tamen farentur aduersarij multas substantias à creaturis comprehendendi. Primùm enim asserunt, angelum inferiorem à superiori comprehendendi: nec tamen cognitio angelica superioris est tam bona, quam angelus inferior: ergo comprehensio non est necessariò tam bona, quam obiectum. Secundò, scientia infusa potest angelus ab alio comprehendendi; nec tamen actus supernaturalis est tam bonus, quam angelus: ille enim licet in gradu superiori entis supernaturalis multis excedat ab angelo. non disputo vtrum gratia sanctificans sit melior angelo; sed de actu scientiæ supernaturalis habente pro obiecto adæquato angelum: hunc actum assero esse minùs bonum absolutè, quam angelum, licet secundum quid meliorem. item angelus comprehendit leonem, item & animus separatus: nec tamen illi actus naturales sunt absolutè meliores leone: ergo comprehensio non est in genere entis necessariò tam bona, quam obiectum comprehensum.

§.200. Tandem illa ratio comprehensionis videtur excogitata ad fugiendas difficultates de incomprehensione Dei magis, quam ex communi assensu & definitione: cum enim certa sit incomprehensibilitas Dei, & alia rationes eam tuendi incertæ, ad hanc confugere Doctores ij, vt possent componi cum Dei incomprehensibilitate.

SUBSECTIO VI.

Ad argumenta S. Thomæ.

§.201. **D**ixi mentem Thomisticam esse hac in parte non claram: quamvis autem ego existimo eum non esse ab hac sententia, sed ab explicanda subsect. 10. tamen quia eius argumenta faciunt etiam hac scopo; oportet ad ea in hoc etiam sensu respondere: quia eis vtuntur auctores huius sententiæ, quam impugno. Arguit igitur 1. p. q. 12. art. 7. & q. 14. art. 3. & 3. Contra Gent. cap. 55. & in 3. dist. 14. qu. 1. art. 2. & in 4. dist. 49. qu. 2. art. 3. & 3. p. qu. 10. art. 1. Ex omnibus ijs locis argumenta petentur.

Ii 2 §.202.

S. Thom.
q. 10.

§. 202. Primum comprehensio corporea est apprehensio alicuius rei cum omnibus que illius sunt: intellectualis autem comprehensio est cognitio continens in se totum obiectum; sed cognitio finita non potest contineri totum obiectum infinitum: ergo cognitio finita non potest esse comprehensio obiecti infiniti. Probo Minorem: quia obiectum contentum in cognitione in nullo eam excedit; sed totum totaliter stat sub actu virtutis cognoscitivæ: sed obiectum infinitum non potest ita stare sub cognitione finita, ut in nullo eam non excedat: ergo nec illa potest comprehendere. Confirmatur Primo. Intelligibile per se loquendo comparatur ad intellectum secundum quantitatem virtutis: sed in hac quantitate obiectum infinitum excedit cognitionem finitam: ergo eam excedit in eo, in quo per se comparantur. Confirmatur Secundo. Deus est cognoscitivus sui per essentiam suam; creatura autem est cognoscitiva Dei per lumen creatum: sed veritas diuinæ essentiæ excedit lumen creatum; & ideo impossibile est ut lumine creato videatur Deus tam perfecte, quam est visibilis. Ex quo sequitur Deum à nullo intellectu creato posse comprehendi in 4. dist. 49. q. 2. a. 3.

§. 203. Hoc argumentum est à me, opinante non posse in Deo cognosci omnia possibilea, & in eo latere beatum necessarium multa prædicata, ut ostendi à §. 65. ad 71. Probat igitur argumentum, nec in Deo posse videri omnia, nec eum comprehendere: quia semper prædicata excedunt cognitionem: aut non probat cognitionem comprehensivam futuram æqualem obiecto. Demus, omnia cognosci à Beatis in Deo, tam possibilea, quam existentia: adhuc illa cognitio esset comprehensio Dei, nec esset infinita in entitate. Durandus enim & alij (& ut videtur, etiam S. Thomas) rationem incomprehensionis petunt ex physica inæqualitate cognitionis cum obiecto. in quo sensu ad argumentum respondeo.

§. 204. Distinguo Maiorem ex §. 202. comprehensio continet in se totum obiectum physicè, siue virtualiter, nego Maiorem: continet intentionaliter, & obiectivè, concedo Maiorem, ut cognitio quidditativa continet totum obiectum, non verò totaliter: illa enim ratio continendi, non est nisi representatio totalis obiecti, quod est in cognitione secundum omnia prædicata, quæ habet in se realiter. Distinguo item Minorem: cognitio finita non potest obiectum infinitum totaliter continere physicè & virtualiter, concedo Minorem: sicut nec visio Dei continet etiam partialiter Deum, nec comprehensio angeli angelum; non potest illud continere intentionaliter & obiectivè, nego Minorem: ut cognitio quidditativa Dei continet Deum in patria, & cognitio accidens continet angelum; hinc nego consequentiam: quia ad comprehensionem satis est continere ad æquatem intentionaliter, ut patet in angelo comprehendente substantiam. Ad probationem Minoris, distinguo Maiorem: obiectum comprehensum in nullo comprehensionem excedit physicè & entitativè, nego Maiorem: potest enim substantia comprehendere accidentè, quod excedit: in nullo excedit obiectivè & intentionaliter, concedo Maiorem: quia omnia, quæ sunt realiter in obiecto, sunt intentionaliter in comprehensione. Distinguo item Minorem: obiectum infinitum excedit necessariè

cognitionem finitam, excessu physico & entitativo, concedo Minorem; excessu intentionali, nego. Hoc enim non est nisi representari cognitione omnia, quæ sunt in obiecto; cui simile est in quidditativa cognitione Beatorum.

§. 205. Ad primam confirmationem, distinguo Maiorem: intelligibile, & intellectio comparantur secundum quantitatem virtutis comparatione physica, & æqualitate entitativa, nego Maiorem: comparatione intentionali & representativa, concedo Maiorem: quia obiectum est terminus cognitionis, & principium in ratione obiecti: cui respondet cognitio. Distinguo item Minorem: comparatione physica obiectum excedit cognitionem finitam, concedo Minorem: comparatione intentionali, nego Minorem: quia omnia, quæ sunt realiter in obiecto, sunt intentionaliter in actu, ve dixi §. 204. Distinguo item consequens: excedit physicè in eo, in quo comparantur, concedo consequentiam: excedit intentionaliter, nego consequentiam. Ad secundam confirmationem, respondeo probari comprehensionem Dei de se ipso esse meliorem comprehensione creata de Deo. Hinc autem non inferitur, nostram cognitionem non posse esse comprehensivam: quia non est de eius ratione ut sit optima inter possibilea: alioquin creaturæ essent tam incomprehensibiles, quam Deus. ita in 3. d. 14. q. 1. a. 2. quæstionc.

§. 206. Secundum argumentum: Comprehendere aliquid est eius terminos circumferre: non quidem terminos essentiæ diuinæ, quibus illa caret, sed cognitione ita eam penetrante, ut non sit possibilis melior, & sit æqualis obiecto. Respondeo ex §. 172. terminos dictos ab August. in comprehensione rerum corporearum, quod ipse explicuit in terminis annuli, quem oculi comprehendunt. Deinde terminos non intelligo proprie, sed improprie pro toto obiecto, cuius nihil lateat cognoscentem: & quamvis prædicata & effectus sint infinita, habeant terminos negativè, id est, ultra illa nihil est: in hoc sensu concedo Maiorem. Ad Minorem, respondeo non esse necessariam illam æqualitatem physicam, sed intentionalem: quia ita videntur omnia, ut ultra nihil sit visibile: quod est circumferbere privatiuè terminos, ut Deus ipse eos sibi circumferbit. ita id explicuit Thomas ipse 1. p. q. 14. a. 3. ad 1. & 2.

§. 207. Tertium argumentum: Illud comprehenditur, quod perfecte cognoscitur: sed Deus à creatura non potest cognosci perfecte: ergo Deus non potest à creatura comprehendere. Probat Minor. Illud perfecte cognoscitur quod cognoscitur quantum cognoscibile est: sed Deus à creatura non potest cognosci, quantum ipse est cognoscibilis: ergo à creatura Deus non potest cognosci perfecte. Probat Minor: quia cognosci rem quantum cognoscibilis est, est eius cognitionem pervenire ad eam perfectionem cognitionis, quæ ipsa est cognoscibilis: sed nulla creata cognitio venire potest ad eam perfectionem, quæ Deus est cognoscibilis: ergo Deus à creatura non est cognoscibilis, quantum ipse cognoscibilis est. Maior probatur: quia unumquodque est cognoscibile secundum quod est ens in actu: debet ergo eius cognitio esse in eodem actus modo. Minor est certa: quia nulla creata potest esse tam bona, quam cognitio Dei de se ipso. Confirmatur Primo. Deus perfecte cognoscitur, quan-

quando in cognitione est tantus, quantus ipse est in ratione obiecti: sed in nulla cognitione creata ita est: ergo. Confirmatur Secundò. Tunc est perfecta cognitio, quando habet tantum entitatis, quantum obiectum habet cognoscibilitatis; vel è contrà tantum obiectum habet cognoscibilitatis in cognitione, quantum entitatis in se: sed in se habet infinitam entitatem, & cognoscibilitatem: ergo in cognitione debet esse tantum entitatis. ita arguit 1. p. q. 12. a. 7. & q. 14. a. 3.

§. 208. Nego Minorem: Ad probationem, distinguo Maiorem: illud perfectè cognoscitur solum, quod cognoscitur, quantum cognoscibile est, reduplicando cognitionem, eiusque modum, nego Maiorem: licet enim Deus se comprehendit, & cætera omnia; quia ea cognoscit, quantum sunt ab intellectu cognoscibilia; tamen id non est necessarium; alioquin nihil esset comprehensibile nisi à solo Deo, à quo solo cognoscuntur, quantum cognoscibilia sunt, reduplicando perfectionem cognitionis: illud autem cognoscitur perfectè quod cognoscitur & quidditatiuè, & in eo cognoscuntur omnia cognoscibilia, siue cognoscitur, quantum cognoscibile est, reduplicando obiectum, & que ex parte illius sunt cognoscenda, concedo Maiorem. Distinguo item Minorem: Deus non potest cognosci à creatura quantum cognoscibilis est, reduplicando actum, concedo Minorem; reduplicando obiectum, nego Minorem: quia ex parte obiecti non sunt alia cognoscibilia. Hinc nego consequentiam: quia ad cognitionem perfectam, non est opus ut sit optima, sed ut sit quidditatiua, & cognoscat omnia in obiecto comprehenso. Ad probationem Minoris, nego Minorem: non enim est opus, nisi ut cognitio perueniat ad perfectionem cognitionis quidditatiuè, & omnia prædicata obiecti penetret. Ad probationem Minoris responderetur, obiecta esse cognoscibilia secundum quod sunt in actu, aut in potentia: Deum autem secundum quod est in actu. Ad quod sufficit cognitio quidditatiua omnium quæ in ipso sunt: quia intellectus ut apprehendit Deum, eum apprehendit in actu, ut accidens cognitio cognoscit creaturam in actu substantiali: & ut ad hoc non exigitur cognitio substantia; ita nec ad illud cognitio in actu per essentiam.

§. 209. Ad primam confirmationem, distinguo Maiorem: tunc est perfecta cognitio, quando habet tantum, quantum est obiectum, quando habet physicè, nego Maiorem: dico id non esse necessarium; quamuis talis cognitio est perfectè: quando intentionaliter & quidditatiuè est tantum, quantum physicè est obiectum, concedo Maiorem. Nego autem Minorem: quia cognitio quidditatiua Dei & omnium, esset intentionaliter tantum, quantum Deus, id est, tot representat, quot sunt in Deo. Ad secundam confirmationem, patet ex §. 208. non exigitur illa physica æqualitas, sed intentionalis.

§. 210. Quartum argumentum confici potest ex 3. Contra Gent. c. 55. quod eò tendit, ut probet Deum à creatura non comprehendi, quia est in se infinitus; lumen autem creatum finitum: infinitum autem non potest perfectè videri per finitum. Secundò, quia virtus finita non potest æquari obiecto infinito. Tertiò, quia omne agit in quantum participat formam agendi; intellectus autem crea-

Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

tus non participat formam agendi infinitè. alia s. Thome omitto, quia sunt iam probata & dilata. Respondi deo nondum probari à S. Thoma requiritur lumen infinitum ad comprehensionem infiniti; sicut non requiritur cognitio substantia ad comprehendendam substantiam, nec cognitio angeli ad comprehendendum angelum. Ad secundum, iam respondi non esse necessariam æqualitatem physicam, sed intentionalem. Ad tertium, non esse necessariam participationem infinitam formæ ad comprehensionem Dei.

§. 211. Iam dixi §. 203. hæc argumenta esse à me, opinante non posse à creatura cognosci in Deo omnia prædicata in ordine ad creaturas, nec creaturas omnes: ego enim existimo nullam cognitionem nisi Dei posse esse reflexam supra se. Respondi autem ijs argumentis, ut ostenderem eorum inefficaciam ad probandam æqualitatem entitatiuam inter obiectum, & eius comprehensionem; sed satis esse æqualitatem intentionalè, ut ergo Durandus admisit non fore comprehensionem Deicam, qua quidditatiuè cognosceretur, & omnia alia in illo: quia non esset entitatiuè tam perfecta quam Deus: ita B. Thomas ijs quatuor argumentis probauit, comprehensionem Dei esse æqualem physicè Deo. Quibus in hoc sensu feci satis, ostendens eis hanc partem minimè eninci. Ex cognitione autem omnium possibilium in Deo, conatus est S. Thomas probare hunc modum æqualitatis physicæ; sed neque id conficiunt eius argumenta. Et quidem S. Thomas primùm statuit, comprehensionem Dei esse æqualem physicè Deo: id quæ voluisse videtur independentè à penetratione omnium possibilium: eam enim datà, adhuc ex B. Thoma non comprehenderetur Deus; ut Durandus admittit: quia caret ea æqualitate physica: ob quod ubique prius quærit, vtrum Deus possit à creatura comprehendi; postea verò, vtrum omnia possint in Deo cognosci. Quod si ex penetratione omnium pendet ratio comprehensionis; prius erat ostendendum ea cognosci nõ posse, & ea ratione Deum esse à nobis incomprehensibilem: vel si possent omnia cognosci, adhuc non esset comprehensibilis. Mihi subobscurus hæc in parte videtur B. Thomas. Videamus quid cæteri probeant.

SYBSECTIO VII.

Ad aliorum argumenta.

§. 212. P. Valentinus Herize disp. 4. à n. 24. eadem sententiam probat argumentis, de quibus in hæc palæstra non semel cum eo contenti. Constituit n. 24. & 25. ad comprehensionem exigi non solum ut nihil lateat cognoscentem, sed ut illa in se sit perfecta, sua perfectione respondens obiecti perfectioni. arguit ergo n. 26. Res spirituales non potest etiam diuinitus videri visa corporeo; nec Deus solis naturæ viribus: quia obiectum in ratione obiecti quasi taxat cognitionis perfectionem: quia cognoscibilitas est quasi proprietates obiecti: ergo comprehensibile obiectum taxat etiam suæ comprehensioni certum gradum perfectionis, non solum in intensione, sed etiam in essentia. Quod num. 27. confirmat. quores est nobilior, eo amabilior, petirque amorem in substantia meliorem; hinc Deus non potest à creatura pro dignita-

S. Thom.
q. 20.

te diligit: ergo etiam Deus petit cognitionem optimam: ergo ut Deus non est comprehensivè amabilis nisi à se ipso, ita nec cognoscibilis.

§. 213. Respondeo, certum esse quodlibet obiectum præscribere cognitioni sui certam perfectionem. Admitto item Deum ratione suæ veritatis obiectivè taxare intuitioni sui supernaturalitatem. nego autem hinc sequi, taxare comprehensioni sui infinitudinem; ut, substantia angeli ut comprehendatur, non exigit comprehensionem angelum, nec substantiam. Confirmatio non vrger: amor enim petitur inæqualis ab obiectis petentibus cognitionem æqualem. Peccatum æqualem petit cognitionem Dei, ac actus honestus, non tamen æqualem amorem: igitur amor sequitur obiectum ut conveniens naturæ rationali, ut rationali: ob quod cum æquè cognoscantur à Deo leo & angelus, amantur non æquè. Cum autem Deus sit convenientissimus naturæ rationali ut rationali, non amatur pro dignitate nisi à seipso.

§. 214. Aduerte aliud discrimen amoris à cognitione. Deus non cognoscitur perfectè nisi in eo penetrantur creaturæ; amatur autem perfectè solus: item Deus non cognoscitur quantum petit cognosci, nisi à seipso, ut nec amatur. Dico autem non exigi propterea ad eius comprehensionem infinitudinem: quia comprehensio non petit esse optima cognitio, quam petit obiectum subiectione sequenti.

§. 215. Igitur ad confirmationem ex §. 212. distinguo cōsequens: ergo Deus petit optimam cognitionem: ut pro exigentia & dignitate cognoscatur, concedo consequentiam; ut comprehensivè noscatur, nego consequentiam. Ad probationem, respondeo amorem quasi comprehensivum illum esse quo nullus maior debetur obiecto, id est, nulla maior æstimatio: quia hæc comprehensio non est in ordine ad amanda alia, ut comprehensio mentis est ad cognoscenda; sed quasi ad solutionem æstimationis debitæ obiecto: cognitio autem obiecti non est argumentum æstimationis: multa enim cognoscuntur, quin æstimentur; est ad penetrationem obiecti. Vnde amor comprehensivus est, qui indicat totam æstimationem obiecti, quam in Deo nullus indicat nisi ipse Deus amore suo: comprehensio autem est, quæ indicat quidditatiuè nihil aliud superesse cognoscendum, quod contingit cognitioni quidditatiuè exprimentis omnia, quæ in obiecto sunt formaliter & eminenter: est ergo mala consequentia ab amore comprehensivito ad cognitionem comprehensivam: quia illorum comprehensio est ex capitibus ab similibus.

§. 216. Arguit Secundò, à conglobatis Sanctorum testimoniis. Quibus vno verbo respondeo, illos à nobis esse: negant enim omnia posse à Beatis in Deo cognosci, Deumque à nobis cognosci multò minùs bene, quàm à seipso. quod ex me verum est: tum quia cognitio in se est minùs bona; tum quia in Deo multa non penetrat, quæ penetrat ipse: exigi autem ut comprehensio sit tam bona, quàm obiectum comprehensum, nec indicant illi Sancti.

SUBSECTIO VIII.

Appendix de opinione constituyente comprehensionem in actu perfectissimo, quem obiectum potest aut petit.

§. 217. **N**on desuere, qui censent comprehensionem obiecti esse cognitionem optimam, quæ potest ad illud terminari. Contra quos argumentor apertè: ergo nulla creatura est comprehensibilis ab alia, sed omnes æquè incomprehensibiles, ac Deus. Probo consequentiam: Omnes creaturæ possunt terminare cognitionem Dei, non minùs ac ipse: sed nulla cognitio creaturæ potest esse tam perfecta, quàm cognitio Dei: ergo nulla cognitio creaturæ potest esse optima earum, quæ possunt ad creaturam terminari: ergo nulla cognitio creaturæ potest esse comprehensio alius creaturæ.

§. 218. Quod argumentum coëgit auctores pedem referte, ac moderati eam opinionem, non ut accipiatur de cognitione perfectissima, quæ possit ad obiectum terminari, sed quam obiectum expossat: etenim ob perfectionem naturatum intellectualium possunt esse multæ, quæ exerceant cognitiones circa creaturam, quarum cognitio sit melior, quàm petitur à creatura ipsa. exempli gratia, lapis petit cognitionem certæ perfectionis, & non maioris; v. gr. cognitionem in anima separata: nulla cognitio inferior hac potest esse lapidis comprehensio: at ab angelo possunt esse aliæ cognitiones multò meliores, quod non obest quo minùs animæ separatae cognitio sit lapidis comprehensio: quia excessus ille cognitionis angelicæ, licet potest ad lapidem terminari; non tamen exigitur: cum autem Deus exigit cognitionem suam, & huic nulla sit æqualis, deducunt nulla alia Deum posse comprehendendi. Recognosce hac de re P. Herize disp. 4. n. 31. quo cum ego hanc disputationem publicè iniui.

§. 219. Quam responsum impugno: ergo non solum Deus, sed etiam creaturæ aliqua naturales sunt incomprehensibiles: exempli gratia, angelus, animus, & materia prima. Probo consequentiam: omnis res petens cognitionem Dei, est incomprehensibilis nisi à solo Deo (ut ipsi fatentur:) sed materia prima exigit cognitionem Dei: ergo est incomprehensibilis. Probo Minorem: materia prima exigit id, à quo dependet, ut sit: sed pendet à cognitione Dei: ergo petit cognitionem Dei. Minor est certa: quia materia pendet ab omnipotentia, & communi eius applicatione, aut directione: quia omnipotentia non potest exire in actionem externam nisi applicata à voluntate Dei, & eiusdem intellectu directæ: ut ignis non potest calefacere nisi applicatus. Maior probatur: quia petitio vnius rei ab alia per appetitum innatum nihil est, quàm dependentia rei petentis à re petita, sine qua esse non potest: quia hæc petitio non est per appetitum elicitum, sed innatum, quem dicimus inclinari & petere id, sine quo esse non potest: ob hoc materia est appetitus ad formam, & hæc ad illam: creatura appetit naturaliter Deum, sine quo esse non potest: ignis eam ob causam appetit calorem: ergo vnumquodque appetit & petit id, sine quo esse non potest.

§. 220.

§. 220. Vnde deduco, cognitionem Dei exigi à materia prima ab animo separato, & ab angelo; quin potius & ab omni ente à Deo pendente. Quia omne id pendet ab omnipotentia Dei influente, & applicata per intellectum & voluntatem Dei: ergo omne eiusmodi ens inclinatur, & petit cognitionem Dei, qua omnipotentia dirigatur in eius productionem.

§. 221. Respondent creaturas petere cognitionem Dei, non tamen formaliter ut est Dei, & cum tanta perfectione, quanta est in Deo: sed petunt materialiter cognitionem Dei, ut est sufficiens ad eas producendas: at sufficiens quidem esset, quamvis non esset Dei, nec tam perfecta: ergo excessus est per accidens, & ultra petitionem creaturarum. Probat Minor: tum quia si Deus comprehenderet angelum inferiorem ut comprehenditur à superiori, posset dirigere suam omnipotentiam ad eum creandum: tum quia angelus superior, si esset omnipotens, posset cognitione, quam nunc habet, creare aliam: ut poterit, si ei communicetur vis instrumentaria ad creationem.

§. 222. Respondeo, à creatura peti cognitionem Dei, ut Dei, & cum tota essentiali, seu intensiva perfectione quam habet (licet non formaliter cum tota extensione ad alia obiecta: quia ut est cognitio de angelo, non dirigit ad faciendam materiam:) ergo à nulla creatura potest comprehendi alia. Consequentia patet ex §. 218. Antecedens probatur: creaturae dependent essentialiter ab omnipotentia Dei: ita ut repugnet aliquam oriri, nisi vel à sola omnipotentia, vel etiam ab illa cum aliqua causa secunda: item implicat terminos omnipotentiam non esse Dei, & esse in alio præter Deum, à quo essentialiter pendet omne ens creatum: ergo petunt creaturae cognitionem Dei ut Dei: Probo consequentiam: Petunt cognitionem ut est formaliter necessaria ad dirigendam omnipotentiam: sed hæc est dirigibilis per solam cognitionem Dei ut Dei: ergo creaturae petunt cognitionem Dei ut Dei. Maior est ex terminis nota: quia dependent ab ea cognitione sine qua dirigi non potest omnipotentia. Minor est clarior: quia omnipotentia Dei, cui alij cognitioni potest esse subiecta nisi diuinæ? Quod clarius patebit ex solutione rationis aduersæ.

§. 223. Ad rationem obiectam §. 221. respondetur, exigi perfectionem Dei ut Dei: quia creaturae exigunt cognitionem directricem omnipotentiam Dei, & quæ præcat voluntati applicanti omnipotentiam; quæ sunt attributa eiusdem essentialitatis: ergo exigitur cognitio Dei ut Dei: item exigitur formaliter cum hac specifica perfectione: quia exigitur cum perfectione existente formaliter in Deo, & dirigente potentiam Dei, & præeunte voluntati Dei: hæc autem omnia sunt in cognitione Dei ut Dei, & cognitio directiva voluntatis angelicæ est cognitio angelica formaliter. quod probatione non eget. Vnde cognitio sufficiens ad applicandam omnipotentiam est formaliter cognitio Dei ut Dei; quia nulla alia potest applicari.

§. 224. Ad primam probationem Minoris responderetur, implicari terminos: perinde enim est, ac si Deus esset angelus, aut angelus Deus; tunc nec esset hæc omnipotentia, quæ in conceptu suo essentiali petit hanc cognitionem Dei, & non alia; nec esset omnipotentia: quia præter hanc nulla est pos-

sibilis. Idem dico ad secundam probationem: si angelus haberet omnipotentiam, non esset angelus, sed Deus: nec moueretur nisi cognitione, qua nunc Deus. Ad tertiam responderetur, instrumentarium concussum posse dirigi cognitione recepta in instrumento; principalem verò reperta in agente principali, qui est Deus. Est quidem hoc argumentum tam efficax, ut eo semper viderim ego turbatos hos auctores. Alia prætereo.

SUBSECTIO IX.

Alia eiusdem opinionis explicatio.

§. 225. **H**is argumentis alij permoti latebras quaerunt ad se abdendum. Dicunt, singula obiecta taxare suæ comprehensioni certum gradum perfectionis, & quo obiecta sunt nobiliora, petere comprehensiones meliores: cum autem Deus sit infinite melior ceteris obiectis, taxat in sui comprehensione infinitam perfectionem, non gradualem intensivam, sed essentialem & specificam. Rogati verò quantam perfectionem taxet anima rationalis, quantam angelus; dicunt se nescire punctum fixum perfectionis cuiusque obiecti; vagè tamen scire singula obiecta taxare certum gradum: cum autem à creaturis ad Deum ascensio sit infinita, crescit infinite comprehensio Dei: qui propterea à seipso solo est comprehensibilis.

§. 226. Sententiæ huius nullam reddunt rationem, nisi eam esse naturam comprehensionis, eaque ratione propugnari incomprehensionem Dei: semper odiatas erectas ignoto Deo, ne ignorans aliquid colam. Arguo Primum, eodem fundamento dici posse, nec Deum quidditatiuè posse videri, quia singula obiecta taxant quidditatiuè sui cognitioni certum gradum perfectionis, ut est certum: sed à creaturis ad Deum est infinitus ascensus: ergo cognitio quidditatiua Dei crescit infinite. Definitioni communi comprehensionis penetrantis in obiecto omnia, quæ sunt formaliter & eminenter, ij addunt, *cum perfectione ab obiecto taxata*: ita cognitioni quidditatiuæ, quæ est cognitio rei sicuti est per propriam speciem, vel à priori; addiderim ego, *cum perfectione taxata ab obiecto*: & ut ipsi solo arbitratu id dicant in comprehensione, dixerim ego de quidditatiua cognitione.

§. 227. Secundò, comprehensioni substantiæ non taxatur perfectio substantialis, alioquin à solo Deo esset comprehensibilis: cur ergo comprehensio Dei erit infinita? etenim huic calculationi iam respondi §. 225. respondeo veram esse eam taxationem: vnumquodque enim obiectum ut comprehendatur, exigit cognitionem quidditatiuam sui, in ipso penetrantem omnia, quæ potest eo pacto quo potest. Perfectio huius actus quæcumque sit, est, quæ petitur ab obiecto, non verò alia. Hinc autem sequitur, Deum non posse comprehendi nisi cognitione quidditatiua attingente in ipso omnia, quæ sunt formaliter & eminenter. Hanc fore infinitam, ij nondum probant.

Explicatio similior veri.

§. 228. **M**eritò ijs opinionibus desertis possumus excogitare aliam similiorem vero. Dicimus comprehensionē vendicare sibi duo; alterum, ut sit quidditatiua cognitio omnium quæ sunt formaliter in obiecto; item ut in ipso penetrat quidquid in eo est cognoscibile omni ratione qua est in illo cognoscibile: v. gr. sub ratione potentia, cognitionis, &c. nisi enim ita cognoscatur, non erit comprehensio: quia si cognitio sit per alienas species, vix efformatur conceptus proprius: ob quod exigitur visio Dei: item nisi omnia penetrat, iam aliquid lateret. Alteram, quod vendicat, est, ut habeat certum gradum perfectionis, sine quo non sit comprehensio, licet cetera habeat. de hac perfectione multum curat Magister, S. Thomas, Durandus, & alij Theologi, vno aut altero excepto. Hunc autem gradum assigno ex æqualitate cognoscentis, & cogniti: illa ergo erit comprehensio, quæ quidditatiuè cognoscit obiectum, & in eo penetrat omnia: item est à principio æquè perfectio, ac est obiectum: & quia fortè aliqua natura inferior exercere potest aliquos actus perfectiores, quàm actus aliqui nature superioris; omnis cognitio tam bona, aut melior quàm est à cognoscente æquali obiecto, & quæ sit quidditatiua, & omnium quæ in eo sunt: omnis (inquam) eiusmodi cognitio est comprehensio obiecti; quia est aut formaliter, aut æquiuvalenter à cognoscente æquali.

§. 229. Hæc sententia videtur colligi non obscure ex S. Thoma in 4. dist. 49. qu. 2. art. 3. ubi explanans hanc difficultatem, constituit ad comprehensionem exigi, ne obiectum excedat virtutem cognoscentis: si enim omnia cognoscantur, & tamen obiectum excedat virtutem cognoscentem, non est comprehensio: si autem & omnia cognoscantur, & obiectum sit æquale virtuti cognoscentis, est comprehensio, ait in Corpore: *Ita dicitur contineri aliquid ab alio spiritualiter, quod substat virtuti eius, & in nullo excedit ipsam.* Non dixit, In nullo excedit cognitionem, sed, ipsam, nempe virtutem cognoscentem. Deinde persistit in comparatione obiecti non cum cognitione, sed cum virtute cognoscente. Quando lumen beatum exceditur à Deo, deducit huic esse à Beatis incomprehensibilem; Deum autem à se comprehendi.

§. 230. Ne autem aliquis existimet, sermonem esse B. Thomæ de virtute intellectu non considerata in solo actu primo, sed etiam in secundo, ut comparatio sit inter potentiam & cognitionem, ita ut tria hæc sint æqualia; assero locutum S. Thomam de æqualitate inter obiectum & intellectum secundum se, & in actu primo; non verò inter intellectionem. videantur quæ in eodem artic. dicit ad 2. & 3. ad 4. autem asserit: *Dicendum quòd quando aliquid intelligit se, idem est modus cognoscentis, & cogniti, & idèd si intelligit se, comprehendit se. Non est autem idem modus cognoscentis, & cogniti, quando intellectus intelligit aliud, & ideo non est simile.* ergo S. Thomas non comparat comprehensionem obiecto comprehenso; sed virtutem intelligentem. Probo consequentiam: quia quando angelus se cognoscit, non

est idem modus essendi inter ipsum, & cognitionem: hæc enim est accidens; ille autem substantia: est autem idem modus inter angelum, & virtutem radicalè intelligendi, qui est ipse angelus: at quando cognoscuntur alia obiecta, non est idem modus. Hinc infert S. Thomas Deum à se ipso, & non ab alio comprehendi: sic expono quæ dicit de perfectione cognitionis respondente obiecto non in actu secundo, sed in primo.

§. 231. Ne hæc opinio est aliena à B. Augustino: explicans enim qua ratione sit obiectum, & eius similitudo in cognoscente, asserit cognitionem alicuius de seipso esse illi adæquatam, parem & æqualem: at non physicè & in se; sed quia est ipsius, & in ipso. quod est idem omnino, ac quod ex S. Thoma adduxi: paulò altius referam Augustiniana verba ex tom. 3. libr. 9. de Trinit. cap. 11. *Quocirca (inquit) in quantum Deum nouimus, similes sumus; sed non ad æqualitatem similes: quia non tantum eum nouimus, quantum ipse se.* At non idèd dixit, quòd nostra cognitio non sit æqualis Deo; sed formaliter: quia est in inferiori natura: ob quod non habet modum illum æqualem ex S. Thoma probatum §. superiori: ait enim: *Melior est tamen imaginatio corporis in animo, quàm illa species corporis, in quantum hæc in meliori natura est, id est, in substantia vitali, sicuti animus est: ita cum Deum nouimus, quamuis meliores efficiamur, quàm eramus, antequam nossemus: maximeq, cum eadem notitia etiam placita, dignèque amata Verbum est; sitq, aliqua Dei similitudo illa notitia; tamen inferior est: quia in inferiori natura est; creatura quippe animus; creator autem Deus. Ex quo colligitur: cum mens se ipsam nouit, atque approbat: sic est eadem notitia Verbum eius, ut sit par omnino, & æquale, atque idèd idem: quia neque inferioris essentia notitia est, sicut corporis: nec superioris, sicut Dei: & cum habeat notitia similitudinem ad eam rem, quam nouit, hoc est, cuius notitia est, hæc habet perfectam & æqualem; quia mens ipsa, que nouit, est nota. Ideoq, & imago, & Verbum est, quia de illa, cum cognoscendo eidem coæquatur, est gignenti æquale quod genitum est.*

§. 232. Ex quibus pbiter collige, quàm fixo pedestet August. ab opinione constituyente omnem cognitionem constare Verbo: ut ostendo disp. 16. de Deo sect. 4. subsect. 9. & 11. tum etiam ut constet, æqualitatem à Thoma desideratam inter potentiam cognoscentem, & obiectum, esse ut cognitio sit æqualis obiecto, non quidem æqualitate physica, sed æqualitate modi exacti ab obiecto, ut sit à potentia æquali ipsi obiecto. Augustinus autem ab illis verbis, *Ex quo colligitur*, docet eam cognitionem esse æqualem, quæ est de seipso: quia est natura & obiecti, nec superioris, nec inferioris: eamque similitudinem propterea esse æqualem. Item genitum genitori, id est, intellectum, & obiectum, à quibus dixerat gigni notitiam, & Verbum. At hæc similitudo æqualis non est physica, sed intentionalis; quia est ab eadem potentia, & de seipso.

§. 233. Hinc apertè deduco, æqualitatem exactam à S. Thoma inter comprehensionem, & obiectum, non esse physicè in verumque, sed inter cognoscentem, & cognitum, illamque dici à Thoma æqualem, quæ est à potentia eiusdem rationis cum obiecto: & in eodem sensu locutum Augustinum, constituentes in creaturis Verbum genitum æquale genitori. Sic accipio modum cognitionis debere esse

esse æqualem modo obiecti cogniti, id est intentionaliter æqualem inter potentiam, & obiectum æquali. Quo solus Deus est incomprehensibilis; creaturæ autem inferiores sunt comprehensibiles ab intellectualibus superioribus aut æqualibus.

§. 234. Ut verum fatear, hæc opinio dignior est Augustino & Thoma, quam omnes alia superiores, nec ab ea videtur Durandus auersus: cum enim æqualitatem exigit, non est inter cognitionem entitativæ, & obiectum; sed inter modum obiecti, & potentia. Contra hæc opinionem non sunt argumenta de comprehensione angeli accidentaria: non enim est opus, nisi ut sit æqualis in modo potentia, & obiecti æqualium. Nec sunt argumenta calculatoria, quia statum in potentia, & obiecto æqualibus: nec vrget argumentum contra incertam taxationem cognitionis ab obiecto: statuitur enim certissima regula. Ex ea autem concluditur apertè incomprehensibilitas Dei à creaturis, tametsi in Deo viderentur omnia, quæ in eo sunt formaliter, & eminenter: ergo hæc opinio multò est cæteris probabilior. Est contra eam argumentum ex §. 197. & 198. qui respondebunt in hæreticis non esse querendum medium errandi: errant enim extreme: ut enim mentiebantur asserentes à se videri Deum, ita insaniebant à se comprehendendi, qui suæ dementia hæc opinione poterant apertè convinci.

§. 235. Quia verò curandum est, dogmata fidei tueri non vna ratione dumtaxat, sed quanta potuerimus latitudine; & viam à me incundam non omnes ingrediuntur, & hæc est satis trita, & plana, & ab auctoritate Augustiniana & Thomistica maxime grata; libet ostendere eam esse probabilissimam, soluendo nodos, quibus videri posset obstringi.

§. 236. Primum, potest angelus inferior exercere circa aliquod obiectum meliorem actum, quam angelus superior: ergo hæc potest esse comprehensio. Antecedens est certum, tum in hominibus, qui exercent sensiones aliquas minus bonas, quam aliquæ bestiarum; tum quia medium potest esse melius, aut modus perfectior: iam dixi §. 228. esse eam cognitionem æquivalentem à principio eodem. nunc respondeo, non posse angelum superiorè comprehendendi ab inferiore nisi actu supernaturali. quia licet aliquibus obiectis possit inferior habere cognitionem aliquam perfectiorem, quam est aliqua angeli superioris, vel ratione medijs melioris, vel certitudinis; ut cum secreta cordis alterius intuetur inferior, superior autem ea cognoscit per coniecturas, aut in aliquo actu intellectus alterius angeli: at cognitionem quidditatiuam naturalem non potest habere meliorem: angelus enim non potest quidditatiuè cognosci, nisi visione Dei in omnipotentia (de qua non disputatur) aut immediatè in seipso: at angelus inferior non potest habere tam bonam quidditatiuam cognitionem de angelo superiori, quam ipse de seipso: ergo nec potest comprehendere superiorè. Minor est certa: quia obiectum vtrouque est idem: potentia intellectrix minus perfecta est in angelo inferiore: species impressæ sunt perfectiores in superiore; sunt tamen æquales: imò angelus se intuetur per suam essentiam sine specie impressa: sed circa idem obiectum formale, per species æquales, potentia melior efficit actum meliorem: ergo in nobis ex defectu potentia visiva oritur imperfectio visionis (si fortè in essentia est nostra visio imperfectior aquilina): ergo.

§. 237. Secundum argumentum: Vnio hypostatica esset incomprehensibilis: hoc autem est falsum: ergo. Minor probatur: quia solus Deus est incomprehensibilis. Maior patet: quia nulla creatura est tam perfecta, quam unio hypostatica: ergo à nulla est comprehensibilis. Responderi potest Primum, unionem hypostaticam comprehendendi ab anima Christi: quia principium cognoscens est anima immediatè vnita Verbo: obiectum autem cognitum est eadem anima cum eadem unione, quæ unio pertinet ad principium cognoscendi ut quod. unde æquale est obiectum virtuti cognoscenti. Contra: Ea cognitio animæ Christi non est melior ratione unionis, quam si exerceretur sine supposito, aut in aliquo creato (quod hic certum pono) sed in alio supposito illa cognitio non esset æqualis in modo potentia æqualis obiecto: ergo nec in Christo.

§. 238. Secundò responderi potest, angelum cum gratia sanctificante & lumine gloriæ esse physicè meliorem unione hypostatica (quamuis non in æstimatione morali ratione suppositi diuini): hæc enim nec est sanctitas, nec filiatio Dei, nec est capax videndi & amandi Deum, nec terminandi amicitiam Dei; aliunde est quidam modus: quod genus enim est valdè imperfectum: angelus autem cum gratia & lumine est substantia completa, simplex, carens compositione essentiali; est in ordine supernaturali; imit amicitiam cum Deo, quem intuetur, & amat: ob quod visio Dei, qua angelus cognoscit unionem, est illius comprehensio: quin etiam per scientiam infusam est comprehensibilis. quæ responsio satis est ad eam difficultatem superandam.

§. 239. Tertio responderi potest, possibilem esse substantiam supernaturalem, quæ suis viribus cognoscat Deum immediatè, & amet: quæ substantia multò est melior physicè, quam unio hypostatica: ergo ab illa substantia poterit comprehendendi.

§. 240. Quarto: repugnet hæc substantia supernaturalis: Deus est specialis auctor & principium actuum supernaturalium: ob quod comprehensio unionis non tam adscribitur angelo comprehendenti, quam lamini & Deo: nec propterea Deus erit eo lumine comprehensibilis: quia Deus se gerit, ac se gereret substantia supernaturalis creata; nec opus est ut Deus altiores gerat vices, quam eius creaturæ, cui conaturale esset hoc lumen: excessus autem est per accidens huic instituto.

§. 241. Tandem non esset absurdum, esse incomprehensibilem unionem: id enim oriretur formaliter à Verbo, cuius est: non enim potest unio comprehendendi, quin Verbum comprehenderetur. Hæc ratio minime est reddenda: quia ad comprehensionem alicuius rei non est opus comprehendere omnes eius terminos: alioquin non posset lapis comprehendendi: quia non potest comprehendendi Deus, qui est terminus ordinis transcendentalis lapidis ad omnipotentiam Dei. satis responsum est à 238. ad §. 240.

§. 242. Abstineo ab opinione P. Franc. Albertini to. 1. q. 4. Theolog. in 4. coroll. ex 1. princip. philosophico à num. 16. partim enim est eadem cum hac Augustiniana & Thomistica; quamuis subobscurè explicata: partim recidit in eam quam iam probo.

S. Thom.
q. 10.

SVBSECTIO XI.

Clara ratio incomprehensibilitatis Dei.

§. 243. **Q**uamuis inter Doctores sit diffidiam, vtrum à vidente omnia prædicata Dei, & penetrante omnes effectus, Deus comprehendatur; sitque disputatio de comprehensione adæquata ex parte modi cognoscendi; tanta lym-piditate, vt ait S. Thomas, quanta Deus ipse se cognoscit. quo sensu certum est non posse Deum comprehendere à creatura; at posse comprehendere obiectiue: quia nihil latet videntem; sitque reuocatum in dubium, vtrum ea comprehensione obiectiua, sine alia ex parte modi, Deus comprehendatur; at nulla est quæstio, vtrum comprehendatur à non vidente omnia possibilis, & aliqua etiam prædicata intrinseca, vt explicantur à creaturis.

§. 244. Dico igitur Primum: Deus à se ipso est comprehensibilis actualiter, & non ab vlla creatura. Prima pars spectat ad scientiam Dei; estque per aperta: quia cognitio Dei attingit omnia prædicata, quæ in illo sunt intrinseca: item & in eis penetrat omnia, quæ in illo continentur eminenter: ergo est comprehensio Dei. Secunda verò pars probatur; vt Deus actualiter comprehendatur, opus est vt omnia eius prædicata cognoscantur, item & penetrantur effecta, vt constat ex definitione comprehensionis, vt nihil lateat videntem: sed nulla creatura vno aut pluribus actibus potest videre omnia prædicata intrinseca Deo, nec in eis omnia possibilis: ergo Deus à nulla creatura est comprehensibilis actualiter. Minor constat ex §. 65. ad 71. vbi probaui vno actu non posse omnia possibilis cognoscere: quia non potest seipsum cognoscere, nec infinitos actus intellectus & voluntatis circa ipsum: vnde nec potest ille actus cognoscere in Deo prædicatum vllum actus potentis, scientis, &c. Vt explicantur in ordine ad creaturas, vt dixi §. 71.

§. 245. Nec pluribus actibus posse cognoscere totam collectionem creaturarum possibilium ostendi §. 71. vnde hoc prædicatum, collectio omnium creaturarum, nec vno, nec pluribus actibus est cognoscibile à creatura: quia licet omne ens singillatim sit cognoscibile, & tota collectio ratione singularium partium; vt dixi §. 74. at vt significat cognitionem copulatam, siue terminum completum; non potest esse vlla cognitio eius prædicati clara & distincta integræ collectionis: quia hæc cognitio esset expressa omnium partium, & compararet eas omnes, & sciret quem locum quæque teneret. quod fieri non potest nec pluribus actibus: quia se cognoscerent in singulari, quando scirent suam cum alijs comparisonem.

§. 246. Vnde deduco esse in Deo plura prædicata, quæ vt referuntur secundum dici ad creaturas, latent omnem beatum. Hæc sunt omnipotentia, vt est simul factiua omnium creaturarum, quæ non opponuntur mutuo in coexistètia: Deus enim non solum potest producere singulas creaturas; sed potest simul eas componere, quarum existentiæ mutuo non pugnant, in quibus sunt illi actus. Item Deus præter scientiam singularium, habet scientiam copulatam de tota collectione, qua comparat singulas alijs, & cognoscit cuiusque excessum. Item habet complacentiam non solum in singulas,

sed etiam in totam collectionem. item habet speciales rationes prouidentia in omnes creaturas collectiue; habet (inquam) aptitudinem in essentia nudè considerata: id est, potest velle eam vniuersitatem in varios euentus dirigere. Latet ergo Beatos plura prædicata in Deo.

§. 247. Dico Secundò: Deus etiam habitualiter est incomprehensibilis à creatura vno aut pluribus actibus. Dixi §. 174. esse quamdam comprehensionem habitualement, quæ absolute non est comprehensio; quia in singulari possunt cognosci omnia obiecti prædicata, habitu quidem, nõ actu: id est, non posse vno actu singula cognosci; posse tamen circa singula elicitaliquem actum, & per actus infinitos nullum est prædicatum, quod cognosci non possit. Dico igitur, Deum etiam hoc pacto esse incomprehensibilem: quia in Deo sunt nonnulla prædicata indiuidua; quæ vt explicantur ad creaturas, non possunt distinctè cognosci: ergo est incomprehensibilis habitualiter. Antecedens constat ex dictis: quia scientia collatiua omnium creaturarum, voluntas in totam illam, potentia totam conseruandi, vt dixi §. 243. non possunt à creatura distinctè cognosci: quia actus, quo cognoscerentur, cognosceret seipsum in singulari.

§. 248. In hac sententia fateor non esse argumentum demonstratiuum, quo probatur nõ posse actum creatum esse de se ipso in singulari: at ex B. Augustino satis probabiliter id ostendi §. 67. idque testatur commune philosophorum adagium, *Ab obiecto & potentia paritur notitia.* & quamuis hæc non est certa sententia, est tamen valdè probabilis: at Theologi tenentur vt opinionibus in philosophia probabilibus, quando faciunt obscuris mysterijs fidei, nec suppetit alia ratio, nisi quæ nos amoueat à communi philosophorum sensu, & impellat in definitiones ab illis alienas: si enim retentâ communi comprehensionis definitione, possumus tueri mysteria fidei; cur, obsecro te, in prærupta ruemus? Quo hæc opinio differt ab ea, quam proposui subsect. 10. quòd illa nititur comprehensionis definitione minimè communi, hæc autem communissima: Augustinus autem pro ea adductus poterit explicari de æqualitate obiecti & principij, non tamen de quacumque, in qua consistat comprehensio.

§. 249. Est etiam hæc opinio sine vlla specie circuli, qualem obseruaui in sententia S. Thomæ: cum enim agit de comprehensione, asserit Deum non posse comprehendere, quia non potest cognitio esse æqualis Deo: cum autem quæritur, vtrum in Deo possint omnia videri; respondet, non posse, quia Deus comprehenderetur: ergo ideo non potest comprehendere, quia non possunt in eo omnia videri: item ideo non possunt videri, quia comprehenderetur. certè aliqua est circuli species: quæ fugitur in opinione proposta subsect. 10. quia standum est, non posse aliquid comprehendere ab intelligente inferiori, quamuis in eo nascantur omnia, quæ continet formaliter & eminenter: cum autem quæritur, vtrum possint omnia videri in Deo; respondendum est, nihil interesse ea posse, aut non posse videri; quamuis enim possent, adhuc Deus non comprehenderetur: quia non possunt videri actu orto à potentia æquali obiecto: intellectus enim creatus cum lumine gloriæ non est tam bonus, quàm Deus: & quamuis aliquando potest esse actus

actus cum auxilio extrinseco Dei, quæ est eius voluntas: adhuc principium per se non est æquale. Hoc enim est habitus: auxilium autem est per accidens, quod subrogatur pro habitu, nec parat vires nisi habitui respondentem.

§. 250. In hac autem opinione curritur inoffenso pede: statuius enim comprehensionem quidditativam obiecti comprehensæ, quæ ita noscuntur omnia, quæ continent formaliter & eminenter; ut nihil lateat cognoscendum: nec opus esse maiorem perfectionem, nec ex parte actus, nec potentia: ut ad cognitionem quidditativam nihil exigitur, nisi ut sit cognitio rei, sicuti est, aut in se ipsa per propriam speciem, aut in causa adæquata. cum autem quaritur, utrum in Deo possint omnia cerni; respondeamus negativè: non quod Deus posset comprehendere, sed alia ratione à comprehensione independenti: nempe quia nulla cognitio potest cognoscere se ipsam. Hinc infertur aperte, Deum comprehendere non posse actualiter, nec habitualiter, hoc syllogismo: *Nulla cognitio Dei, quam lateat aliquid prædicatum pariale Dei, est comprehensio Dei in actu aut habitu: sed omnem cognitionem creatam Dei lateat aliquid Dei prædicatum in singulari: ergo nulla cognitio creata Dei, est Dei comprehensio actualis aut habitualis.* Maior constat à negatione definitionis ad negationem definiti. Minor constat: quia nulla cognitio creata potest se ipsam cognoscere. Consequencia est in celarem.

§. 251. Ulterius inde deduco: sequi per locum intrinsecum non posse Deum actu aut habitu comprehendere, quin illa comprehensio esset Deus. quia illa comprehensio cognosceret semetipsam: at nulla cognitio nisi increata potest cognoscere se ipsam: ergo comprehensio Dei esset increata. Maior probata est sæpè: item §. 241. & 242. Minor etiam est probata: quia ideo cognitio Dei se ipsam intuetur, quia est improducta: ob quod non est producibilis ab obiecto: cognitio autem producibilis est producibilis & ab obiecto, & à potentia: ut ergo cognitio creata non potest esse potentia sui, quia potentia productiva distinguitur realiter à termino producto: ita non est obiectum sui per eandem rationem.

§. 252. Est insuper hæc opinio maximè consentanea maiori & meliori Theologorum parti: S. Thomæ, Bonavent. Scoti & recentioribus: item & sanctis Patribus: B. Gregor. adducto §. 114. cuius optimam paraphrasim in hunc scopum comperies apud Doctorem Eximium tom. 1. disp. 26. sect. 3. vers. *Addo tamen: ubi etiam adducit egregia ex Nazianzeno, Chrylostomo & Augustino: multò autem vberius ea de re agens eadem disp. 26. sect. 3. vers. Secundo arguo, idem probat, ex Gregorio, Ambrosio, Beda, Hilario, Anselmo, Chrylost. Theodoro, Cyrillis Alexandr. & Hierosol. Irenæo, Epiphonio, Damasceno, & Gregor. Nazianzeno. Hic orat. 49. sub medium ait: Certe hoc est Deus, quod cum dicitur, non potest dici: cum æstimatur, non potest æstimari; cum definitur, ipsa definitione crescit.* Dixit acutè, Deus à nullo intellectu satis dici potest, quia in eo ignorantur multa: at satis diceretur, si dicerentur omnia, nec satis potest æstimari: quia non potest in ordine ad omnia, quæ habet. & definitione crescit: quia non potest secundum omnia prædicata à nobis definiti. cum ergo Sancti univèrsim affirmant Deum esse incomprehensibilem, ra-

tionem quæ reddant: quia non potest aperte totus, *s. Thom.* videri in ordine ad omnia quæ potest; quærenda §. 10. est ratio huius incomprehensionis obiectivæ.

SUBSECTIO XII.

Corollaria.

§. 253. **H**inc deducitur Primò, solum Deum esse incomprehensibilem habitualiter; nec hoc prædicatum esse commune vlli creaturæ: omnes enim sunt habitualiter comprehensibiles: quia nulla est natura intellectualis, quæ in se ipsa non posset cognoscere quoduis suum prædicatum: quia cognitio vna potest cognoscere omnes alias ab ipsa distinctas, & non reflexas supra ipsam. Deinde alia secunda cognitione potest cognosci illa cognitio directa, & ipsa natura ut est ad illam ordo. Hæc autem secunda potest cognosci per tertiam: videtque Deus nullam esse incognoscibilem: at hoc Deo repugnare probavi: ergo solus Deus est incomprehensibilis, aliquo genere comprehensionis absolutæ.

§. 254. Obijcis, hoc nihil interesse: quia quod frequenter dicitur, *Solus Deus incomprehensibilis*, intelligitur de incomprehensibilitate absolutè, & non secundum quid: at si aliqua creatura esset etiam incomprehensibilis absolutè, quid interesset eam esse comprehensibilem secundum quid? Respondeo, multum interesse: quia Sancti Deum commendant, quia numquam venimus ad omnia eius prædicata cognoscenda, licet existant simul omnes cognitiones possibiles intuitivæ de illo: at si existant omnes cognitiones quidditativæ de angelo, nullum erit prædicatum ignotum, sed omnia in singulari noscentur: in Deo autem aliqua ego assigno incognoscibilia omnino à creaturis: ergo hæc in parte multum & infinitè excedit Deus omnem creaturam, quæ numquam etiam ex parte obiecti cognoscere potest Deum, quantum ipse est in se cognoscibilis in omnibus prædicatis singularibus: creatura autem potest cognosci. Quo discrimine satisfit omnibus, quæ ex Patribus possunt adduci. Hanc autem comprehensionem habitualem non vocavi ego §. 174. secundum quid: quia licet habitus non est cognitio simpliciter, sed secundum quid; tamen, si ponantur simul omnes actus, erit ex parte obiecti comprehensio simpliciter omnium effectuum in singulari, & omnium prædicatorum in singulari: at in Deo multa prædicata in singulari ignorantur necessariò: quamvis noscantur omnes effectus in singulari.

§. 255. Infertur Secundò, nullam substantiam esse actualiter comprehensibilem à creatura actibus naturalibus; si sermo sit de comprehensione exacta, cuius memini §. 175. Ratio est, quia quævis substantia potest successivè infinitos effectus: quos vno actu naturali non possumus cognoscere. at est comprehensibilis omnis substantia non intellectiva comprehensione vulgaris: quia possumus actu naturali cognoscere, quos effectus vna quasi vice possit vna substantia: quando verò substantia potest efficere infinitos effectus in specie, non potest nec vulgariter comprehendere: quia vno actu naturali non possumus attingere infinita obiecta: at actibus infinitis potest comprehendere obiectivè, non tamen absolutè: nec illi actus sunt possibiles ex natura rei.

S. Thom.
q. 10.

§. 256. Tertio inferitur, nullam naturam intellectualem creatam esse comprehensibilem naturaliter ab alia, nec exactè, nec vulgariter. Probat in angelo non valente animum comprehendere: hic enim dicit ordinem transcendentalem ad infinitas species impressas distinctas essentialiter, & ad cognitiones, & effectus naturales, quos potest exercere: sed actu materiali non possunt cognosci infinita obiecta, nec actus infiniti possunt exerceri: igitur angelus non potest ita penetrare animum, ut in eo cognoscat omnes effectus in specie, nec omnia prædicata, ut explicatur comparatione illorum: ergo nec potest eum comprehendere. Non posse actu naturali cognosci infinita, non eget probatione, cum vix illud admittatur in supernaturali. Possè animum cognitiones infinitas, est certum: quia obiecta naturalia possunt esse sine fine: item actus reflexi possunt absque fine multiplicari in specifica distinctione semper. eadem ratione non potest comprehendi materia forma: quia dicit ordinem ad formas infinitas.

§. 257. Secundo probatur: angelus non potest vno actu cognoscere omnia prædicata animi rationalis, ut explicatur in ordine ad omnes effectus; nec in eo potest penetrare omnes effectus: ergo non potest eum comprehendere. Probo antecedens: quia illa cognitio angeli cognosceret seipsam in singulari: quia animus aliqua cognitione potest eam quidditatiuè videre: hæc autem cognitio cognoscens eam sui cognitionem, cognosceret seipsam.

§. 258. Obijcis: Ergo iam præter Deum aliquid etiam est incomprehensibile: hoc autem est falsum: ergo. Distinguo Maiorem: aliquid præter Deum est omnimodo incomprehensibile, nego Maiorem: quia comprehensione habituali omnia creabilia possunt comprehendi, quod satis est ad prædicatum proprium incomprehensibilitatis, ut dixi §. 251. est incomprehensibilis creatura comprehensione actuali, concedo Maiorem, & nego Minorem in hoc sensu. Ne autem sit vllus scrupulus, nego Maiorem: omnis enim creatura ordinis naturalis est comprehensibilis actu supernaturali: qui & infinitos animi effectus potest cognoscere: nec propterea veniet in cognitionem claram sui.

§. 259. At obijcis iterum: Ille supernaturalis actus est cognoscibilis ab anima actu naturali: ergo potest cognoscere seipsum. Distinguo antecedens: est cognoscibilis clarè & distinctè, nego antecedens: est cognoscibilis confusè, & sub ratione communi, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia ex cognitione confusa & vniuersali sui non potest actus se in singulari cognoscere: quia ad actum confusum non est opus ut actiuè concurrant omnia obiecta confusè cognita; sed satis est si aliquod concurrat, cuius cognitio sit indifferens ad omnia: etenim cognitio seipsam cognoscit in ratione communi cognitionis: hæc autem species à nullo obiecto, in singulari oritur, sed potest à quolibet. De quo alibi: hæc enim sunt certa.

§. 260. Obijcis Tertio: Actus supernaturalis comprehendens animam, etiam cognosceret seipsum: quia comprehenderet potentiam obedientialem animæ: ergo anima est incomprehensibilis supernaturaliter. Nego antecedens, ad probationem, respondeo animam posse comprehendi, quin comprehendatur potentia obedientialis formali-

ter, ut explicatur per ordinem ad effectus supernaturales: quia illa potentia non est transcendentalis ordo, sed sola non repugnans ad supernaturales effectus; vel est potentia inchoata, & remota, sine cuius comprehensione potest animus comprehendi.

§. 261. Tandem deduco, nec gratiam, nec lumen gloriæ, nec substantiam supernaturalem esse comprehensibilem actualiter, benè tamen habitualiter. De secunda parte constat: quia nullus est earum rerum effectus, quin possit in singulari actu supernaturali cognosci. Quo discriminatur à Deo incomprehensibili etiam habitualiter, quod satis esset etiam in naturalibus ad ostendendum prædicatum proprium Dei. in præsentem autem minus esset incommodi: quia incomprehensio actualis competit gratiæ, quia est in ordine diuino. Probat autem illatum: quia lumen potest clarè videre in Deo quamlibet cognitionem supernaturalem: item scientia infusa eam potest immediatè videre: ergo comprehensio lumine ea comprehensione videret in singulari.

SECTIO X.

De claritate scientiæ beate.

S. Thom. q. 10. a. 4.

§. 262. Quid sit euidentiæ actuum intellectus, explicui vol. 2. disp. 25. Breuiter dico, euidentiæ esse perfectionem actus intellectus, quo tam clarè & distinctè cognoscitur obiectum, ut illud negare non possit. Hæc impotentia negandi obiectum potest considerari & in actu primo, & in secundo. in primo, quia principia sunt tam perfecta, ut non possit cum illis componi dissensus: v. gr. cum habitu scientiæ infusæ, & specie impressa: de obiecto supernaturali non potest componi de eodem obiecto. dissensus in actu secundo consideratur: quia actus euidens non potest expelli dissensu. itaque claritatem actus & limpiditatem explicamus per oppositionem cum opposito dissensu: hæc autem oppositio oritur ex perfectione actus.

§. 263. Christus habet perfectissimam visionem inter omnes posibles creaturas de potentia ordinaria: quia est infinitè intensa. est autem quæstio, vtrum sit clarior & euidentiior inter omnes: Comparatio euidentiæ potest esse inter visionem Christi, & ceterorum Beatorum: item inter eandem, & visionem Dei de se ipso. S. Thomas art. 4. cum interrogasset; vtrum Christus videat Deum clariùs quam ceteri Beati? respondet affirmatiuè: quia Christus melius illis Deum videt. Hæc ratio non videtur efficax: quia potest videri Deus cum æquali claritate, & perfectione inæquali. Quia duo Beati possunt ita videre Deum, ut vterque in illo videat eadem prædicata cum connotatione ad creaturas easdem; alter autem remissiùs altero. iam enim ostendi, intensionem non potrigi ad diuersa obiecta secundaria; sed ad eadem omnino. item demus videri solum Deum; potest inæquali intensione videri.

§. 264. Hinc argumentor: Intensior illa cognitio est perfectior, quam remissa, & non est clarior: ergo ex maiori perfectione non arguitur maiori cla-

claritas: eam non esse clariorem, probo: vtraque cognitio habet eandem necessitatem in actu primo ad assentiendum Deum esse: quia actus primus sunt lumen, Deus in ratione obiecti, & intellectus: quæ vtroque habent eandem necessitatem. item ex parte obiecti respondent eadem prædicata tam primaria, quam secundaria. Ex parte verò actus vterque est æquè inamissibilis assensu opposito: sed eadem necessitas ad assensum est eadem claritas: ergo illi actus habent eandem claritatē. & quamvis actus essent inæquales essentialiter; possent esse æquè evidentes: quia æquali necessitate ferrentur in Deum: vt actus intellectus intuens colorem, perfectior est visione externa coloris eiusdem, non tamen euidētiōr. Habet quidem meliorem euidētiā, non tamen maiorem, vt habet veritatem meliorem, non tamen maiorem.

§. 265. Adhæc actus melior potest esse minus clarus. Pono vnum actum intensum vt centum terminatum ad Deum, & angelum dumtaxat; alium verò intensum vt octo terminatum ad Deum, angelum, & leonem: hic secundus actus non est tam bonus, quam primus (vt ex omnibus pono,) & est clarior: ergo. Probo Minorem. penetrat Deum in ordine ad plura prædicata, & in eo videt plures effectus: ergo est clarior. Probo consequentiam: quia prior non attingit explicitè Deum vt potentem leonem, ita vt possit ex illo solo efformari hic conceptus: *Deus potest absolute facere leonem*; formaliter quidem hic: *Deus potest facere leonem, si leo potest fieri*: id enim spectat ad perfectionem Dei. actus autem secundus efformat hunc conceptum: *Deus potest absolute facere leonem, & leo est absolute factibilis à Deo*: ergo secundus actus distinctius attingit Deum ad formandos hos conceptus. Item ijs prædicatis assentiuntur necessariò: actus autem primus non assentiuntur necessariò: ergo clarior est secundus actus, quam primus.

§. 266. Confirmatur apertè, pone actum intensum terminatum ad Deum, & possibilis in commune, non verò ad actum liberum: pone alium remissum terminatum ad eadem possibilis, & vnum actum liberum, & vnam creaturam existentem. Hic actus clariùs penetrat prædicata Dei: quia præter penetrata primò, ipse penetrat denominationem liberam: item & existentiam effectus: ergo actus minus bonus potest esse magis clarus.

§. 267. Dico Primò: Actus scientiæ Christi sunt clarissimi inter omnes possibilis creaturis. Probatur. penetrant Deum ad omnia, ad quæ est penetrabilis de potentia absoluta; ita vt repugnet à creatura videri aliud prædicatum in Deo, aliamque creaturam. ad quæ omnia est necessitas tam ex parte actus primi, quam secundi: ergo non potest visio esse clarior. Probo consequentiam: quia euidētia & claritas sunt perfectio ita attingendi obiectum, vt necessariò illi præbeat assensus secundum aliquod prædicatum, & effectum: sed tanta perfectione Christus Deum attingit, vt non possit illi obiecto necessariò assentiri secundum plura prædicata: ergo non potest à creatura clariùs videri.

§. 268. Obijcies: Deus potuit producere plures creaturas, & Christus eas videre: ergo potuit esse actus clarior. Probo consequentiam: quia tunc viderentur plura prædicata libera, & effectus plures. Secundò, demus eas esse productas, & à Christo nesciri; sciri autem quæ sunt nunc: in eo euentu

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

Christus non cognosceret: ergo nec nunc. *Respon. s. Thom. deo Primò, sermonem esse de scientia vt beante: 2. 10. at non beat, vt est de liberè existentibus, sed de possibilibus, & de Deo secundum se. Secundò respon. deo, negatà consequentiā: ad primam probationem, distingo antecedens: plura prædicata vt libera, concedo antecedens; vt necessaria, nego antecedens, & consequentiam, vt mox dico.*

§. 269. Ad secundam probationem, concessio antecedenti, nego consequentiam: quia nunc cognoscit Christus in singulari omnia, quæ sunt: item & cognoscit non esse alia in singulari, nec esse alium actum intellectus aut voluntatis circa aliud singulare, ratione cuius penetrat in Deo omnia, quæ possunt à creatura penetrari. At in casu antecedentis cognosceret Christus omnia hæc, quæ existunt positiuè: at non cognosceret negationem ceterorum, vt nunc cognoscit; cetera enim nec affirmaret, nec negaret illo actu: at nunc ea negat: ob quod tam clarè cognoscit nunc Deum, quam si plura produxisset, & cognosceret: quia nunc nullum prædicatum latet Christum cognoscibile à creatura, nec effectus vllus. Quod confirmatur ex ipso Deo: quia nunc tam clarè se cognoscit, quam si produxisset infinita alia. Ratio à priori est cognitio clara negationis aliarum rerum: hæc negatio non est in esse possibili: omnia enim sunt possibilis: ob quod cognitio aliquorum, & non plurium est minus clara: quia cum in eo statu sint plura, non potest cognosci illorum negatio, vt in statu existentia: at cognitio omnia non attingens est minus clara.

§. 270. Hinc deduces, cur visio Christi sit clarior, quam aliorum Beatorum, nempe, quia penetrat in Deo plura prædicata, & effectus plures, quibus assentitur necessariò: distinguit ergo plura prædicata, & penetrat cum necessitate illis assentiendi: è quibus multa latent alios Beatos, quæ cum aliqua specie obscuritatis attingunt, quin possint illa expressè affirmare.

§. 271. Dico Secundò: Cognitio creata Christi est minus clara, quam increata. Primò, quia increata attingit plura prædicata in Deo, quam creata, cum necessitate illis assentiendi: ergo est clarior. Antecedens constat: quia singularia prædicata Dei de tota collectione creaturarum collectim acceptarum, non attinguntur scientia creata, increata attinguntur. Secundò, licet eadem prædicata attingerentur, adhuc esset euidētiōr increata scientia: quia circa idem prædicatum Deus habet maiorem necessitatem assentiendi: ergo & maiorem euidētiā. Consequentia patet: quia euidētia est necessitas assentiendi: vnde maior euidētia est maior necessitas. Antecedens est certum: quia assensus Dei de seipso est necessarius per essentiam, qui nec contineri potest ab actu primo, nec destrui in secundo: at visio potest destrui cum lumine, item & conservari lumen absque visione. Nec esset tam euidens cognitio identificata cum lumine: quia posset non esse; at increata non potest.

SECTIO XI.

De certitudine scientiæ beatæ.

§. 272. **C**ertitudo est perfectio actus intellectus, qua ita est verus, vt non possit esse falsus, vt ostendi vol. 2. disp. 25. Quæ perfectio con-

Kk fide

§. 279. Probatu apertè: qui censet ab aequali lumine in potentia inæquali esse visiones inæquales, tribuit potentie naturali virtutem actiuam partialem, & immediatam, nec constituit in lumine totam virtutem actiuam: sed Caietanus, & apud illum S. Thomas, constituit visiones inæquales ex æquali lumine in potentijs inæqualibus: ergo Caietanus, & apud illum S. Thomas, censent totam rationem agendi non esse lumen, sed etiam in intellectu esse immediatam & partialem virtutem actiuam. Maior est clarissima: si enim potentia nihil agit, nisi denominatiuè ab actione solius habitus, quid interest potentiarum diuersitas: in vnaquaque enim reperitur æqualis agendi virtus: ergo in omnibus erit æqualis actus à lumine æquali.

§. 280. Confirmatur. ait Caietanus potentiam acutiorem esse aptam meliori & acutiori visioni: ac si totum acumen esset habitus, omnes potentie essent æquè acutæ: quia tota ratio acuminis esset lumen. Quemadmodum ex diuersitate subiectorum non oritur melior calefactio: quia tota ratio calefaciendi est calor: nec enim aqua calida in thorem calorem producit, quàm ignis, lapis, & ferrum. densitas autem subiectorum non est causa caloris intensioris, sed vt citius fiat: ergo si tota ratio agendi est lumen, non potest ab æquali lumine oriri visio inæqualis. Quod tam certum est apud Thomistas, vt ipsi ita arguant: si intellectus immediatè concurrat ad visionem, sequeretur ab æquali lumine oriri visiones inæquales inæqualibus subiectis. Consequens est falsum: ergo illud ex quo sequitur. Caietanus autem posuit per se notum, de quo non posset dubitari, immediatum concursum intellectus in visionem: ex quo non improbabiler deduxit inæqualitatem visionum ex intellectibus inæqualibus cum æquali lumine. Dixi, non improbabiler: quia disp. 26. de Deo sect. 7. subsect. 2. dico probabilem Caietani sententiam. Hoc autem argumentum factum hoc §. est euidentis quoad acumen, & intensiorem visionis. At verò posse visiones specie distingui ex intellectu varietate, tamen si immediatè non concurrant actiuè, vt probabile probo ea disp. 26. de Deo sect. 7. subsect. 5.

SVBSECTIO II.

Possibilis est alia visio melior quàm communis, de potentia absoluta.

§. 281. **D**ico, de potentia absoluta possibilem esse aliam visionem nobiliores Christi.

stiana communi. Hæc conclusio est clarissimè ^{S. Thomæ} S. Thomæ a. 4. ad 3. ijs verbis: *Licet absolute consideran- q. 10. do possit esse aliquis gradus sublimior secundum infinitatem diuinae potentie.* Ab hac conclusione sunt auctores adducti §. 277. quamuis ob aliud fundamentum: ipsi enim censent ab hoc lumine Christi constituto in angelica natura oriri posse nobiliores visionem, quàm ab anima Christi: sunt ergo ab hac conclusione.

§. 282. Alio ex capite id probat S. Thomas: quia in infinitate diuinae potentie continetur alius gradus sublimior luminis, & gratie: ergo ab illo oriri potest sublimior visio. Antecedens non probat S. Thomas, sed supponit. Probatu autem Primum: quia non repugnat substantia supernaturalis, quæ viribus proprijs permilla, possit videre Deum: sed ea visio esset ex genere suo sublimior: ergo ex parte luminis non repugnat melior visio. Minor probatur: quia principium illius visionis esset multò melius, quàm principium visionis Christianæ: & vt cognitio angeli superioris est multò nobilior ex genere suo, quàm angeli inferioris: ita & visio ab illa substantia producta.

§. 283. Secundò probatur: possibilem esse aliam gratiam multò meliorem, quàm hæc, cui connaturale sit lumen gloriæ, quin per fidem aliquid cognoscat; quæ si potest esse viatoribus, sit per scientiam infusam: item aliqua gratia minimè distincta à charitate, lumine, & scientia infusa. Denique circa idem obiectum formale possunt esse multi actus distincti specie oritur à principijs specie distinctis, vt patet in angelis, qui habent cognitiones specie distinctas circa idem obiectum formale propter solam diuersitatem angelorum. Quo responderetur Caietano oppositum censenti in hunc articulum.

§. 284. Rogas, cur ea gratia & visio non sit communicata Christo? Respondeo Primum, mille rationibus id potuisse Deum honestare: quia sua dona partitur vt vult: voluit item caput hominum & angelorum esse vnicum: quia ratione potuisset, hominibus quidem simile in natura humana; iisdem, & angelis simile in gratia habitualibus & actibus supernaturalibus. Secundò Respondeo, Christo præter hanc gratiam & visionem communes esse alias longè nobiliores, vt dixi §. 141. & disp. 48. §. 65. & disp. 26. de Deo sect. 6. subsect. 3.